EX
LIBRIS
Dr HEINRICH
CHRISTENSEN

И. Бр. 14317

QUAESTIONES PSEUDO-CALLISTHENEAE.

(PARTICULA PRIMA.)

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXIX

HORA XI

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

ARMINIUS NIEDENFUEHR

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

B. HIRSCHWAELDER, CAND. PHIL.

G. FALTIN, CAND. PHIL., SEM. REG. PHILOL. SEN.

R. PISCHEL, CAND. PHIL., SEM. REG. PHILOL. SOD.

VRATISLAVIAE.

TYPIS HENRICI LINDNERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

MARTINO HERTZ

PHILOSOPHIAE DOCTORI

LITERARUM ANTIQUARUM ET ELOQUENTIAE IN ACADEMIA
VRATISLAVIENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO BENEVOLENTISSIMO

PRAECLARE DE SE MERITO

HASCE PAGELLAS

SACRAS ESSE JUBET

AUCTOR.

Praefatio.

Qui primus edidit idemque unus adhuc Pseudo-Callisthenis historiam fabulosam Alexandri Magni, Carolus Muellerus, in exemplaris sui praefatione excusationem sibi forte opus esse ratus, quod Ptolemaeo et Aristobulo junxerit hunc, recte affirmat, in illius fabulis complura inesse, quae ne severior quidem historia sit aspernatura. Considerantes vero, Alexandri Magni et vitam et res gestas, inde ab ipsius temporibus per multa saecula a gentibus et orientis et occidentis literis mandatas ac decursu temporum miris et incredibilibus exornatas narrationibus, quum scriptores sequentes ad ea, quae antecedentes jam protulerant, novi aliquid adderent, ita ut historiae fides postremo relinqueretur nulla aut certe minima, apud omnes fere orbis terrarum populos nobis occurrere, ipsorum literis celebratas, quod quidem fabulosum in modum usque ad finem medii aevi factum esse constat: facere non poterimus, quin maximam habeamus gratiam viro doctissimo, qui, ex quo fonte omnes illae narrationes deinceps fluxerint, eum primus publici juris fecerit. Is vero est Pseudo-Callisthenes, quem etiamsi non historiam scripsisse, sed vitam factaque Alexandri fabulis refersisse nobis sit confitendum, tamen praecipue ea de causa non negligendus videtur, quod ipsum contemplati, optime intelligere possumus ac dijudicare, quomodo narratio aliqua a diversissimis diversorum temporum populorumque hominibus paullatim immutetur. Est enim condici-

УНИВЕРЗИТЕТ

hujus rei alia atque similium. Nempe alius argumenti narrationes fabulosae, quarum fundamenta vetustissimis temporibus vulgo sint jacta, per longum temporis spatium in ore tantum fuerunt hominum ac serius demum literis mandari coeptae sunt, ita ut nec ordinem, nec magnitudinem perspicue nobis liceat dignoscere. At nostra orta est, qua aetate jam multa exstabant et varia literarum monumenta, Alexandriae scilicet, id quod mihi quoque funditus est persuasum, et ejusdem mutationes vel recensiones nunc quoque habemus memoriae proditas, quamvis sane inter nationes sint dispersae linguarum vel maxime diversarum, quare vix fieri poterit, ut omnia ejusdem argumenti scripta legere, componere, comparare, alterum ex altero deducere, uni liceat homini. (Cf. *J. Zacher: Pseudocallisthenes, Forschungen zur Kritik und Geschichte der ältesten Aufzeichnung der Alexandersage. Halle 1867.* p. 1—5). — Jam si quis miretur, quod hunc praeter ceteros mihi elegerim scriptorem diligentius examinandum, hujus rei causa mihi fuit ea, quod persuasum habeo, tironi philologico, qui sum, minorem usum esse redundaturum, si de scriptorum aliquo notissimorum egerit, qui ab omnium temporum viris doctissimis et maxime ingeniosis ex omnibus fere partibus affatim sint tractati, quam si operam suam consumpserit in auctorum aliquo serioris aetatis, quos nondum pari diligentia ac labore dignati sunt viri docti. E quorum numero est Pseudo-Callisthenes. — Magnam sane variarum quaestionum hic scriptor praebet materiam. Sic de auctoris persona, temporibus, dicendi usu, fontibus, imitatoribus disserendum erit. Quod codicum pretium et quae sit eorum inter se ratio, his de rebus complura jam protulerunt Bergerus de Xivrey, C. Muellerus (introd. p. VIII sqq.), J. Zacher (p. 7 sqq.) Nec mihi quidem abest consilium, in unam alteramve harum rerum alio tempore diligentius inquirendi: nunc id mihi proposui, ut, quantum possim, locos quosdam liberem vitiis, quibus omnes libri, quot quidem novimus, abundant, deinde, quae nova vocabula a singulorum codicum auctoribus sint inventa ac primum usurpata, ea ex similium analogia explicem et defen-

dam. Quibus in rebus si hic illic erraverim, veniam peto a legentibus, qui nondum eruditione fruar larga et multiplici, qui idem pro viribus annixus sim.

Uti mihi licuit codice quoque Leidensi Nr. 93, nondum typis expresso, quem Julius Zacher, vir illustrissimus, sua manu descripsit et, rara sane atque admirabili benignitate precibus meis obsecutus, in usum meum contulit, ut singulis locis scripturas ejus proferre potuerim. — Librorum capitumque ordinem secuturus sum a Muellero institutum nec non rationem, qua codices significaverit, ut sit A = Parisinus Nr. 1711, B = Paris. Nr. 1685, C = Paris. Nr. 113, L = Leidensis.

I.

I, 1, p. 1. De initio totius narrationis, quale exhibet codex A. et maxima ex parte codex L. quoque, multum dubitavi, quanam ratione locus sit restituendus. Ante omnia vero illud mihi persuasum est, non in veram formam primitivam enuntiatum illud redactum esse a Muellero, conjiciente, fuisse tale quid: Οἱ σοφώτατοι Αἰγύπτιοι .... παραδεδώκασι σφίσι τὴν οἰκουμένην οὐχὶ στρατείαις s. ἐπιστρατείαις, ἀλλὰ ἀλκῇ λόγου καὶ γνώσεως vel φύσεως μαγικῆς δυνάμεως. Nam haec emendatio totius loci connexui minime est conveniens, quum de expeditionibus agatur, quas arcuerint a terra sua Aegyptiorum reges, non quas ipsi susceperint. Deinde non erat, quod offenderet vir doctissimus in substantivo φύσεως, quippe quod utriusque codicis auctoritate nitatur, licet falsa h. l. exhibita sit vocabuli scriptura, de qua re infra sum acturus. — Variis igitur, ut jam dixi, curis locum tractavi. Ac primum quidem haud parvam suspicionem quum mihi moverent cumulati illi quatuor genitivi, mendum ita tollere mihi visus sum, ut scriberem: π. τὴν οἰκ. ἐ. σ. ἀ. λ, φύσει μαγικῆς δυνάμεως. Dativus φύσει derivandus est a nominativo φῦσις [1]) et est, conjunctus cum genitivis μαγικῆς δυνάμεως, appositio ad verba, quae sunt ἀλκῇ λόγου. — Sed haec emendatio quum ne mihi quidem satis probaretur, in alias deinceps incidi hasce: Π. τῇ οἰκ.

[1]) Nihil certe h. l. refert, quod hoc substantivum significationem „liberationis" apud unum habet Eustathium.

ἐπιστρατείας ἀ. λ. φ. μ. δ. Habet enim verbum παραδιδόναι eam significationem, ut sit „aliquid memoriae alicujus tradere". Cf. Philostr. Her. p. 709 Ὄνομα ἤδη αὐτοῦ (Ulixis) παραδεδόσθαι τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ δεινότητι. Plat. Resp. II, c. 13, p. 372 D. Καὶ οὕτω διάγοντες τὸν βίον ἐν εἰρήνῃ μετὰ ὑγιείας, ὡς εἰκός, γηραιοὶ τελευτῶντες ἄλλον τοιοῦτον βίον τοῖς ἐκγόνοις παραδώσουσι. Locum personae obtinet vocabulum οἰκουμένης, ut significet „homines totius orbis terrarum", velut I. 32, p. 34. Ἡ πόλις, ἣν ἐκέλευσας κτισθῆναι, βασιλεῦ, ὅλην τὴν οἰκουμένην θρέψει. I. 36, p. 41. Οὐδὲ γὰρ, ἐὰν ἡ σύμπασα οἰκουμένη ἀνδρῶν εἰς σε συνέλθῃ, δύναται καθαιρεθῆναι τὸ τῶν Περσῶν πλῆθος. III. 17, p. 121. Ἐὰν δέ σοι, Ἀλέξανδρε (συμβῇ τι, quod supplendum esse docet II. 35, p. 88) ὅλη ἡ οἰκουμένη ἐδυστύχησεν. — Adstipulatus denique Hertzio, viro illustrissimo, qui corruptelam in praedicato latere arbitratus, scribendum proponit παρηυδοκιμήκασι τὴν οἰκ. κ. τ. ἑ., equidem hanc ingressus sum loci sanandi viam: Οἱ σοφώτατοι Αἰγύπτιοι .... παρασεσώκασι τὴν οἰκουμένην ἐπὶ στρατείας ἀλκῇ λόγου, ῥήσεως μαγικῆς δυνάμεως. Non occurrit sane, si quidem H. Stephano (Thes. l. gr. s. v.) fides habenda, verbum παρασώζειν nisi semel apud serioris tantum aetatis scriptorem; sed haec nobis justa verbi rejiciendi non est causa. Nempe legimus apud Pseudo-Callisthenem, qui interdum vocabulis utitur, et ipsis apud unum auctorem obviis, qui idem solus quaedam exhibet vocabula. Porro quod attinet ad vocis οἰκουμένης significationem, possem equidem retinere ac defendere eum illius usum, quo apud alios scriptores semper, fere semper apud Pseudo-Callisthenem usurpatur, ut sit „orbis terrarum" [1]). Namque cur nobis fingere nequimus, scriptorem dicere voluisse hoc, Aegyptiorum reges servare potuisse arte magica unamquamque orbis terrarum partem, si voluissent, aut si hoc facere essent coacti? Is sensus haud dubie e verbis potest elici. At invenisse mihi videor locos quosdam apud nostrum scripto-

[1]) Cf. I, 15, p. 15; I, 34, p. 39; II, 22, p. 80, 81; II, 27, p. 84 a. l.

rem, quibus specialem, ut ita dicam, habet significationem substantivum οἰκουμένης atque artioribus circumscriptum est finibus ita, ut pro substantivo χώρας sit positum. II, 42, p. 92. Ἐξ αὐτῶν (sc. τῶν ἀμφιππίων ἀνδρῶν) δέ τινας βουληθεὶς ὁ Ἀλέξανδρος περιποιήσασθαι καὶ εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκουμένην ἀγαγεῖν, ἄχρι πεντήκοντα τῆς διώρυγος ἐξήγαγε. II, 43, p. 93. Ἐὰν δὲ τὴν ὑφήλιον οἰκουμένην διῆλθον, εἰς τόπους δυσβάτους καὶ ἀγρίους κατηγτήσαμεν. III, 14, p. 111. Σὺ δὲ εἶπας καὶ ἐπὶ τὸν ὠκεανὸν ἀναβήσεσθαι καὶ μετ' αὐτὸν ἐπ' ἄλλην οἰκουμένην καὶ μετ' ἐκείνην πάλιν ἐφ' ἑτέραν. III, 26, pp. 137, 138. Ἡμεῖς γὰρ οὐ παρὰ τὴν οἰκουμένην οἰκοῦμεν, ἣν σὺ ἐπελήλυθας, ibid. extr. p. 139. (Ἀλέξανδρος) δεδοικὼς, μήποτε ἐξέλθωσι (sc. οἱ βασιλεῖς καὶ τὰ αὐτῶν ἔθνη) εἰς τὴν οἰκουμένην, κατακλείστους αὐτοὺς ἐποίησεν. Quae exempla affirmant, significari τῇ οἰκουμένῃ terram aliquam, quatenus sit habitata, non semper summam omnium terrarum, quae ab hominibus incolantur[1]). — Ῥύσεως quum nullo apto modo potuerim aut intelligere aut explicare, mutavi in ῥήσεως, immo non mutavi, sed pro itacismi forma rectam restitui scripturam[2]). Jam vero ῥῆσις est „dictum, sententia, oratio", ut explicat Hesych. s. v. ῥήσεις — νόμοι, δόγματα, λόγοι, λέξεις, ψηφίσματα et Suid. s. v. ῥήσεις — λόγοι. Secundum meam igitur emendationem ῥήσεως est appositio ad genitivum λόγου. Addit enim scriptor ἐπεξηγητικῶς, qualis naturae fuerit ille λόγος, quo reges Aegyptii hostes suos arcuerint. Scilicet non quodlibet fuit verbum, non quilibet sermo, sed oratio potentiae magicae. Quod sane necessarium fuit, siquidem scriptoris verba recte deberent intelligi. Ergo totum

[1]) Simili cum libertate utitur Pseudo-Callisthenes substantivo κόσμου, quod a significatione χώρας nihil differt. III, 11, p. 106. Ἀνέτειλε γὰρ (sc. ὁ Ἀλέξανδρος) ὡς ὁ ἥλιος ἀπὸ Μακεδονίας κατοπτεύσας πολὺν κόσμον, πρὶν ἔδυνε κατὰ Βαβυλῶνα et ibid. paulo infra Ἦλθε καὶ τὸν ἡμέτερον κόσμον κατοπτεύων καὶ ἐρευνῶν.

[2]) Literae ι vel υ usurpatae sunt in codice A. pro litera η e. g. I, 16, p. 16 τίς pro τῆς; II, 4, p. 59 χωριτίαν pro χορηγίαν; II, 19, p. 76 Μιδίαν pro Μηδίαν; III, 12, p. 109 ὑμῶν pro ἡμῶν. — Ceterum exemplis, quae docent, vocalem „i" promiscue exprimi per ι, υ, η, ει, οι, omnes scatent Pseudo-Callisthenis libri.

enuntiatum ita fere verterim: „Sapientissimi Aegyptii ..... servarunt terram in expeditione aliqua praesidio verbi, orationis potentiae magicae".

I, 3, p. 3 codices A. L. vatem Vulcani, quem, quo evanuisset Nectanabus, Aegyptii consuluerant, vaticinantem faciunt haec: Οὗτος.... ἥξει μετὰ χρόνον νέος (codex L. habet νέ) τὸ γηραλαῖον ἀποβαλὼν τόπον (L. τόπων) εἶδος (L. οὐδος) κόσμον κυκλεύσας ἐπὶ τὸ Αἰγύπτιον (L. αἰγύπτον) πεδίον. Adjectivi formam, quae est γηραλαῖος, quum alibi nusquam inveniatur, itacismo ex adjectivo γηραλέος ortam esse censeo, quod h. l. restituto[1]). Maximam vero difficultatem praebet accusativus τόπον, cujus vim nullo pacto potui perspicere. Quocirca olim τρόπον (vel, quod est in codice L., τόπον) scribendum putavi, ut illi duo accusativi, quos fere nominant accusativos graecos sive remotioris objecti, pertineant ad adjectivum νέος, abs quo interposita propositione participiali, quae est τὸ γηραλέον ἀποβαλὼν, sint sejuncti. („Hic.... veniet post tempus aliquod, abjecta senectute, juvenis mores formamque, postquam orbem terrarum circumierit, in solum Aegyptium.") Attamen quum structura evadat durior nec potuerim invenire apud Pseudo-Callisthenem alterum exemplum figurae, quam vocant ἀσύνδετον, quae h. l. certe esset statuenda (τρόπον, εἶδος), laetissime discessi in sententiam professoris illustrissimi Hertz, mutantis τοπᾶν. Quamvis sane eandem vocem frustra praeterea quaesiveris apud hunc scriptorem, tamen ex analogia potest defendi vocabuli τανῦν II, 9, p. 65, II, 26, p. 84, II, 43, p. 93, III, 33, p. 150 (bis) adhibiti.

I, 6, p. 6 corruptum sane est, quod exhibet codex A., ubi magus ab Olympiade, ut cubiculum sibi detur prope cubiculum reginae, petit: ὅπως ἐρχομένου τοῦ θεοῦ πρὸς σὲ φόβῳ πῷ ἐμῷ περισχιθῇς, quorum verborum neque sensus perspicitur, neque, quae forma sit περισχιθῇς, comparet.

[1]) Denuo haec falsa lectio occurrit I, 25, p. 26 in codicibus B. L., quum ceteri duo praebeant γηράλιος, quae forma teste Hesychio minus recta est, quam γηραλέος.

At locus, quem Muellerus integrum reliquit, levi tantum mutatione sanari posse videtur. Nempe lego: ὅπως ἐ. τ. θ. π. σ. φόβῳ τῳ μὴ περισχεθῇς („ne appropinquante deo, timore aliquo cingaris s. cincta tenearis.“) Quae mutatio sensui vel maxime apta est nec habet verbi, quod est περιέχειν, significatio quidquam, quo offendamur. Etenim notus est ejus usus, qualem habet Lucian. Tim. c. 31. Οὐ γὰρ ἄν τι ἡμεῖς ὁράσαιμεν ἀξιόλογον πρὸς ἄνδρα ὑπὸ τηλικούτου στρατοπέδου περιεσχημένον. Herod. VIII, 10. Συμφορὴν ἐποιεῦντο μεγάλην (οἱ Ἴωνες) ὁρέοντες περιεχομένους αὐτούς. Cum dativo, ut hic, conjunctum est Polyb. XXIV, 12. 13. Περιέχεσθαι τοῖς πράγμασι. Aliis sane locis Pseudo-Callisthenes usurpat verbum συνέχειν. cf. I, 10, p. 10. Φόβῳ συνεχόμενοι. II, 16, p. 73. Συμφοραῖς δὲ τοιαύταις συνεχόμενος ἐθρήνει. II, 20, p. 77. Ἀφασίᾳ συσχεθείς. III, 21, p. 130. Τῇ ἀθυμίᾳ συσχεθεὶς θανασίμῳ περιέπεσον νόσῳ. Porro haud mediocre meae quidem conjecturae redundat auxilium e capitis 6. argumento codicis C.: Ὁ δὲ (sc. Νεκτανεβὼς) ᾔτήσατο αὐτῇ (l. αὐτὴν) δοθῆναι αὐτῷ κοιτῶνα πλησίον αὐτῆς, ἕνεκεν τοῦ χωρὶς φόβου προσελθεῖν αὐτῇ τὸν θεόν. Nam verba χωρὶς φόβου, quominus ad Ammonem deum referantur, impedimento est totus verborum sententiarumque connexus. Praeterea meae conjecturae sensum exprimit Julius Valerius quoque: „Ut, si forte aliquis tibimet repentinus irruerit metus, possim tibi spes esse subsidii.“ — Denique hanc emendationem solam rectam esse affirmare audeo, ex quo codicis L. cognovi scripturam, quae est: Ὅπως ἐρχομένου τοῦ θεοῦ πρός σε φόβῳ τινὶ μὴ σχεθῆναί σε.

I, 8, p. 8, codex B. Philippum narrantem facit somniorum interpreti, se deum aliquem, postquam cum Olympiade uxore se miscuerit dicentem audivisse: Γύναι, συνέλαβες παιδίον ἄῤῥεν, ὃς ἐγκαρπώσεται καὶ τὸν θάνατον τοῦ πατρὸς ἐκδικήσει. Verbum, quod est ἐγκαρποῦσθαι, inepte h. l. esse usurpatum, nemo non concedet. Commemoratur quidem a Polluce IV. 42. una cum simplici verbo καρποῦσθαι, sed non sine aliqua suspicione, quum certe ἐκκαρποῦσθαι ibi sit legendum: Ἔνιοις δ' ἂν αὐτῶν (sc. τῶν σοφιστῶν) τὸ μισθοὺς λαμβάνειν . . . . .

καρποῦσθαι, ἐγκαρποῦσθαι· Sed jam justum vocabulum esse sumamus, idem significans, quod καρποῦσθαι. Jam quid sibi vult h. l. verbum illud, praesertim absolute positum? Significat enim „metere, fructum capere ex aliqua re, exhaurire, diripere, frui“, quarum significationum nullam posse adhiberi, facile sibi quisque persuadebit, si objectum deesse consideraverit, quo omisso sensus evadit nullus: Qua de causa scribendum conjecerim: ὃς ἐγκρατὴς ἔσται. — Ἐγκρατὴς enim dicitur quasi ὁ ἐν κράτει ἔχων, qui rem aliquam in potestate sua habet, re aliqua potitus. Deinde sensu eminentiore eum denotat, qui rerum potens est. Ita et a Demosthene et ab Isocrate Philippus saepe nuncupatur τῶν πραγμάτων ἐγκρατής. Ne ab ipso quidem Pseudo-Callisthene hoc adjectivum alienum esse docent. I. 26. p. 2[illegible]. (Δαρεῖος), ὃς ἐγκρατὴς τῆς ὑπ' οὐρανὸν . . . . ἐγένετο. II, 43, p. 93. Ἐγκρατὴς γενόμενος πάσης Περσίδος; alii loci. Etiam absolute ponitur omisso genitivo. Hac igitur voce deus, quem Nectanabum esse scimus, indicat, puerum, qui ab Olympiade naturus sit, dominum orbis terrarum fore. Rem ita sese habere, e tota narrationis condicione elucet. Etenim ne irasceretur Philippus, quod gravida facta esset ipso absente Olympias ac mulieris metum amoveret, somnium misit regi Macedonum Nectanabus, in quo concubantem cum deo conspexit uxorem audivitque deum ipsum dicentem verba modo allata. Quum autem magus ille reginam vero decepisset concubitu, id quod in capite 7 narratur, illi hoc dicit: Γύναι, κατὰ γαστρὸς ἔχεις ἄῤῥενα παῖδα ἐκδικόν σου γενόμενον καὶ πάσης τῆς οἰκουμένης κοσμοκράτορα βασιλέα. Ergo ut sibi constaret, Philippum quoque somniantem ejusdem, vel certe similis argumenti, verba audientem faceret, necesse fuit, id quod mea fit conjectura. Nam quem illic πάσης τῆς οἰκουμένης κοσμοκράτορα βασιλέα nominaverat, de eodem Alexandro hic dicit simplicius: ἐγκρατὴς ἔσται et, ut unam vaticinationis partem mutavit, ita alterius quoque forma priori non prorsus est similis, quum illic matris ultorem fore Alexandrum, hic patris mortem ulturum esse polliceatur.

I, 10, p. 10. Muellerus locum codicis A. misere muti-

latum parum recte emendavit. Narratur ibi Nectanabus, quo animum Philippi, suspicantis, non ex deo aliquo concepisse Olympiadem, sed e mortali homine, sedaret, assumpta immensi draconis specie, triclinium intrasse atque reginam coram Philippo ceterisque osculatus evanuisse. Ad ea rex secundum codicem dicit haec: Τοῦτον τὸν δράκοντα ἴδιον εἶναι τὸν πόλεμον πρὸς τοὺς ἀντιδίκους συνέκρου καὶ συρμῷ τῷ πλήθει σαὐτὸν ἀνα ποδίζειν ποιοῦντα. Muellerus correxit: T. τ. ὃρ. εἶδον (et hoc certe rectum est, nam ceteri libri ad unum omnes praebent ἐθεασάμην) εἰς τ. π. πρ. τ. ἀ. συνεκτρέχοντα („vel tale quid") κ. σ. τὸ πλῆθος αὐτῶν (qua in re et ipsa ei adstipulor) ἀ. π. Sed reperisse mihi videor equidem emendationem, quae, quum propius accedat ad literarum tractus libri ms., tum eundem efficit sensum, quem in illius verbis inesse, recte divinando assecutus est editor. Nempe lego: T. τ. δ. εἶδον εἶναι τὸν πόλεμον π. τ. ἀ. συγχροτοῦντα καὶ τὸ πλῆθος αὐτῶν ἀ. π. Ut enim locutio, quae est πόλεμον συγχροτεῖν, apud Aristidem exstat — locum ipsum non inveni, quippe cujus non diserta facta sit in Thes. s. v. mentio — Διχόθεν ἤδη ἀπὸ Περσῶν καὶ Ἀθηναίων συγκεκρότητο ὁ πόλεμος, sic apud nostrum quoque scriptorum legitur III. 3. p. 97. Ὡς δὲ τὸν πόλεμον συνεκρότησαν, et ibid. Συγκροτηθέντος τοῦ πολέμου, ibid. p. 98. Ὁ πόλεμος πάλιν συνεκροτεῖτο. (C.)

I, 13, p. 12 describitur Alexandri forma et habitus praebentque BC. verba: Τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς (εἶχεν) ἑτερογλαύκους, τὸν μὲν δεξιὸν κατοφερῆ (L. κατωφερεῖ i. e. κατωφερῆ), τὸν δὲ εὐώνυμον γλαυκόν. Bergerus jam conjectura intulit formam κατωφερῆ codicis L., quae probari nequit, nisi alterum oculum ἀνωφερῆ fictum putemus, id quod ineptum sane est (M). Editor aut superesse censet vocem κατωφερῆ ex deperdito narrationis loco, ubi de cervice regis εἰς εὐώνυμον deflexa agatur (cf. Plut. Alex. c. 4), aut scribendum κυανοβλέφαρον vel potius κυανοκόρην. Ea de re profecto non est dubitandum, quin priore loco scriptum fuerit adjectivum, oculi alterius colorem diversum a colore alterius significans, id quod apparet et ex adjectivo ἑτερόγλαυκος et inde, quod sinistri oculi color diserto verbo indicatus est. At minus

mihi probatur conjectura Muelleri, quae nimis recedat a scriptura codicum. Qua de causa equidem restituerim κατηφῆ. Primum significat hoc adjectivum eum, qui vultu demisso est, frontem et supercilia remisit prae pudore aut moerore, quo sensu praeter alios multos locos obviam venit apud Ps.-C. quoque I, 10, p. 9. Μόνου δὲ τοῦ βασιλέως Φιλίππου κατηφοῦς ὄντος. III, 33, p. 150. Ὁ Βουκέφαλος τὸ κατηφὲς καὶ στυγνὸν εὐθὺς ἀποβρίψάμενος. Jam a forma et ab adspectu talis hominis transfertur ad colorem rerum, illi adspectui similem, ad colorem nigrum. Sic figurate nominat Pollux V, 110 χωρίον κατηφές. Himer. orat. IX, 3. Νεῖλος δὲ ἐδόκει μοι κατηφὴς καίπερ πλημμυρῶν τοῖς ῥεύμασι. Philostrat. vit. soph. II, 1. 8, p. 556. Κατηφὴς δὲ ὁ λίθος καὶ μέλας. — Nigrum vero alterum Alexandri oculum fictum fuisse a scriptore nostro, tria comprobant testimonia haec. Primum enim antiquissimus codex A., fons ceterorum, habet μέλαν. Deinde Julius Valerius dicit: „Alteri (sc. oculo) admodum nigra quasi pupilla est." Denique Tzetzem quoque sic legisse, docent versus ejus in Hist. var. Chil. XI, 97 sqq., abs quo Callisthenis locum non nominato fonte exscriptum esse censet Muellerus (Introd. p. XXVII annot.):

Ὁ βασιλεὺς μέγιστος Ἀλέξανδρος Φιλίππου
Γλαυκὸν τὸν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχειν θρυλλεῖται πᾶσι,
Μέλανα δὲ τὸν ἕτερον.

I, 17, p. 17 codex C., postquam narravit, quosdam, Bucephalum ab Alexandro domitum esse, nuntiavisse Philippo, extra urbem versanti, addit: ἀγούμην τῷ στρατῷ αὐτοῦ ποιοῦντι. Primum vocabulum corruptum esse, neminem fugit. Nihilominus hoc vitium facillime tolli posse videtur, si legimus ἀγῶνα, quod et ratione palaeographica se commendat et ad totius loci sensum optime quadrat. Nempe fingitur rex cum exercitu extra urbem versans, eo scilicet consilio, ut illi certamen det militesque pugnis simulatis exerceat, ut et nos fere dicimus „er hielt ein Manoeuvre ab."

I, 19, p. 19 sermo est de ludis Olympiis nominanturque certantes ipsi ab auctore codicis A.: ἐποχευόμενοι τοῖς ἅρμασι, quum sine dubio scribendum sit ἐποχούμενοι τ. ά. Verbi enim, quod est ἐποχεύειν, h. l. nulla est vis. Significat „iterum ineo secundo inscendo", deinde „post primum coitum salio", qua significatione dicitur ἐπαναβαίνω quoque. Ἐποχεύομαι legitur apud Macrob. Sat. VII, 5, qui verbum ab Empedocle usurpatum esse tradit: Ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη, θερμὸν δ' ἐποχεύετο θερμῷ, quod recte „miscebatur" interpretatus est Sturzius. Contra verbi ἐποχεῖσθαι usus — ut sit „curru vel jumento vehi" tam frequens est, ut eum exemplis firmare prorsus sit supervacaneum. Ne nostrum quidem scriptorem hac voce abstinuisse, docent I, 24, p. 25. Ποικίλῳ ἵππῳ ἐποχούμενον, II, 27, p. 85. Ἕνα θεὸν ἀληθινὸν ἐκήρυξεν.... τὸν ἐπὶ τῶν Σεραφὶμ ἐποχούμενον. II, 33, p. 87. Ἀλέξανδρος τῷ Βουκεφάλῳ ἐποχούμενος ἵππῳ.

I, 23, p. 23 vitiosam codicis C. lectionem, quae est ἄδειαν ἀφίησιν, Muellerus mutavit in ἔνεδραν τίθησιν. Vox ἀδείας a librario parum attento ex sequentibus huc illata est nec potest dubitari, quin de insidiis agatur. Sed rectius restituemus formam ἔνεδρον. Nempe scriptor, quem eundem ἐνέδραν posuisse concedo [1]), ἔνεδρον dixit III, 20, p. 128. Ταῦτα εἶπε (ὁ κατάσκοπος) μὴ θεασάμενος τὸ ἔνεδρον, ib. Ὡς δὲ ἐν τοῖς ἐνέδροις εὐθέως ἐσάλπισαν; III, 26, p. 138. Μήπω τὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου νοήσαντες ἔνεδρον et, quod magni est momenti, hoc ipso capite: Ἐν τῷ τόπῳ, οὗ ὁ Ἀλέξανδρος τὸ ἔνεδρον ἐποίησεν et Καὶ τὸ ἔνεδρον.... ὑπεξέρχεται. Deinde in forma illa, quae est ἀφίησιν, mea quidem sententia ἐποίησεν potius latet, quam, quod Muellero visum est, τίθησιν. Quamvis non infitier, ἔνεδρον τιθέναι s. τίθεσθαι eodem jure usurpari posse et usurpatum esse a scriptoribus, atque ἔνεδρον ποιεῖν s. ποιεῖσθαι, tamen hujus elocutionis plura reperi exempla, quam illius. Quid, quod Ps.-C. ipse in loco, a me allato, ποιεῖν posuit? Sed gravissima emendationis meae causa est ea, quod etiam codicis C. scriba itacismum est

[1]) cf. I, 19, p. 20. I, 37, p. 42. III., 31, p. 146.

secutus, ita ut formae ἀφίησιν et ἐποίησεν, quae eundem fere haberent sonum (ἀφίσιν et ἐπίσεν), inter se facillime possent commutari, praesertim quum codex C. ab altero alteri dictatus magis, quam ab uno descriptus esse mihi videatur. Porro melius scribetur aoristus, quum sequantur formae προσέταξε et ἐκέλευσε, quamvis et antecessisse et sequi praesentia me haud fugiat nec historiae scriptores eos, e quorum numero est noster, consecutionis temporum, quam vocant, rationem non habere, equidem ignorem. At valet argumentum ideirco, quia ad cetera accedit.

I, 31, p. 32 ubi narratur, qua de causa oppido Paraetonii nomen sit inditum, scilicet, quod sagittarius quidam, quem Alexander cervam jaculari jusserit, non vulneraverit, in codice A. exarata sunt verba: (Ὁ τοξότης) τὸ βέλος τινάξας εἰς ἄχος ἀφῆκε παρ' αὐτὸ τῆς θηρὸς μὴ εὐστοχήσας. Verba τὸ βέλος τινάξας εἰς ἄχος, quominus significent, cervam leviter tantum esse vulneratam, non prorsus necatam ideoque potuisse effugere [1]), impediunt verba sequentia ἀφῆκε... μὴ εὐστοχήσας. Jam vero, ut quam proxime accedamus ad memoriam libri, scribi propono εἰς ἄνω. Quam locutionem hic illic invenis apud nostrum scriptorem. Simillimus locus est III, 3, p. 98. Ὡς οὖν ταῦτα (sc. τὰ σμικρότατα χοίρων βρέφη) εἶδον οἱ ἐλέφαντες γρυλλίζοντα ἔμπροσθεν αὐτῶν, εὐθέως ἄνω καὶ κάτω ἐκτιναχθέντα τὰ καστρίδια ἔρριψαν. III, 28, p. 142. (Εἶχεν ὁ κρατὴρ) ναυμαχίαν εἰς τὸ ἄνω διάζωμα. — Itaque sensus evadit fere hic: Sagittarius cursum sagittae sursum dirigens, a proposito aberravit, quocirca animal telo non est assecutus.

In eodem capite p. 32. Alexander ad locum quendam processisse traditur, duodecim (BC) vel sedecim A et Val.) vicis consitum, quorum nomina, quamvis corruptissima, legere licet in codice A. et qui habuerint duodecim flumina, effundentia illa quidem in mare. Tum pergit A.: Καὶ μέχρι νῦν αἱ διεκδρομαὶ πεφραγμέναι εἰσὶν· ἐχώσθησαν οἱ ποταμοὶ καὶ αἰγὲ

[1]) Julius Valerius quidem rem ita finxit: „(Quum) levius ictum animal evasisset".

τῆς πόλεως καὶ αἱ πλατῖαι ἐγεννήθησαν. Minime sto equidem a Muellero, qui codicis verbis inserit alia; sed Valerii verborum rationem habens, abs quo codicem A. imitando expressum esse apparet, levi tantum mutatione trium vocabulorum totum locum in rectam formam redigi confido. Nempe Valerius scribit haec: „His sedecim desessilibus flumina quoque duodecim intererrabant, pariter omnia vergentia juxtim in mare, sicuti nunc etiam ad memoriam veteris insulcationis datur visere. Quippe quamvis congestu postea sint ad aequoris uniti faciem exaequata, quisquis tamen ille ductus fluminis fuit, is nunc plateis apud Alexandriam tractus est.“ Ex his elucet, decem flumina illorum duodecim mutata esse in plateas, quae quidem directionem vel tractum pristinorum fluminum sequebantur. Jam vero quum vici ipsi eorumque plateae non usque ad mare essent extensi, non tota fluminum longitudo ad plateas efficiendas adhibita est, sed ora relinquebantur, aperta remanebant, id quod oculis cuivis erat cognoscendum. Scriptorem autem profecto hoc habuisse in animo, ejus rei documentum est contrarium, quod statuunt et ipse et imitator ejus Valerius, addentes: Δύο δὲ μόναι διέμειναν, αἳ καὶ ἀπόρευσιν (i. e. ἀποῤῥέουσιν) εἰς τὴν θάλασσαν et „Sed duo tantum ingressus fluminum reservati“. Illam vero sententiam efficit conjectura mea, qua constituitur locus ita: Καὶ μέχρι νῦν αἱ διεκδρομαὶ πεφασμέναι εἰσίν· ἐχώσθησαν οἱ ποταμοὶ καὶ αἵδε τῆς πόλεως (καὶ) αἱ πλατεῖαι ἐγεννήθησαν („et usque ad hoc tempus ora fluminum conspicua sunt; obstructa enim sunt flumina et hae urbis plateae etiam factae“).

I, 33, p. 36, quin participium κολλήσαντες, quod exstat in codice A., mutandum sit in σκοπήσαντες, vix cuiquam erit dubium, praesertim consideranti, codices BCL. eodem loco exhibere κατασκοπήσας. Ceterum in eodem codice A. idem occurrit verbum II, 17, p. 74. Ἀλλά γε σκοπήσας τὴν τύχην οἰκτειρον ἡμᾶς.

I, 39, p. 44, ubi refert codex A. literas, a Dario ad satrapas suos datas, legimus: (Ὁ παιδαγωγὸς) οὐκ ἐπιτρέψει αὐτῷ ἀνδρὸς φρόνημα ἔχειν πρῶτος ἄνδρα γενέσθαι. Loco mendosae vocis, quae est πρῶτος, Muellerus πρὶν scripsit. At Muelleriana equidem faciliorem mihi invenisse videor lectionem et quae eum, qui exspectatur, sensum efficiat; nempe πρὸ τοῦ scribi propono.

I, 41, p. 45 codices BC. praebent: Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος δεξάμενος τὰ γράμματα Δαρείου καὶ ἐντυχὼν οὐκ ἐπειρᾶτο ἐπὶ τοῖς κομπηγόροις λόγοις Δαρείου. Verbum πειρᾶσθαι ab editore h. l. esse retentum, valde miror, quum unaquaeque ejus significatio inepte usurpata cernatur. Quocirca utique mutationem opus esse persuasum habeo. Nec est difficilis inventu; quin duas habeo in promptu. Ante omnia statuo, corruptelam ex itacismo ortam esse eaque de causa recta evadet lectio, si pro diphtongo ει posuerimus vocalem η, quae eodem modo sonat, i. e. si legerimus ἐπηρᾶτο. Quae conjectura totius loci sensui vel maxime est accomodata. Nempe traditur tum Alexander acceptis lectisque literis non convicia aut exsecrationes misisse contra auctorem, sed contemptim derisisse. Favet praeterea huic lectioni iterata praepositio, quae est ἐπί, conjuncta cum vocibus, quae sunt κομπηγόροι λόγοι. Denique facillime intelligimus, quid sibi velint verba sequentia: Ἀλλὰ μεγάλως αὐτοῦ κατεγέλασεν quarum vis, utpote contrarium indicantium, in lectione codicum est nulla. — Quam conjecturam, quamvis et facilitate et sensu sit speciosa, non ausim praeferre alteri. Certe enim mendum illud profectum est inde, quod codicum BC. auctores eundem locum in codice A. non intellexerunt, qui quidem habet hoc: Ἀλέξανδρος οὐκ ἐπτύρη τοῖς κομπηγόροις λόγοις. Jam quum mihi persuasum sit, codices BC. dictatos magis, quam descriptos esse, facile fieri potuit, ut scriba vel verbi sonum auribus falso perciperet, vel in scribendo eo, quod percepisse sibi videretur, mendum aliquod in se committeret, exempli gratia literam aliquam omitteret. Itaque dictatum fuisse arbitror ἐπτύρετο — idque restituo — cujus loco librarius perceperat ἐπύρετο s. ἐπύρατο, in quo formam ἐπειρᾶτο opinabatur latere, aut negligentia sua in exarando verbo ἐπτύρετο primum omisit literam τ, tum pro ε posuit α, vocalem vero, quae sonat „i“, diphthongo ει

exprimendam esse arbitratus, effecit falsam illam formam ἐπειρᾶτο [1]).

I, 41, p. 46 in narratione de proelio, ad Issum commisso, libri exhibent verba haec: Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ ἥλιος συμπαθήσας τοῖς γινομένοις καὶ μὴ κρίνας θεωρεῖν τὰ τοιαῦτα μιάσματα συνεφὴς ἐγένετο. Pro adjectivo depravato, quod est συνεφής, legendum censeo συνηρεφής, quod scriptor sine dubio in animo habuit. Significat hoc vocabulum non solum „dense consitus", sed etiam „contectus, opertus, velatus". cf. Herod. I, 110. Ἡ Μηδικὴ χώρη .... ὀρεινή ἐστι κάρτα καὶ ὑψηλή τε καὶ ἴδῃσι συνηρεφής. VII, 111. Οἰκέουσί τε γὰρ οὔρεα ὑψηλά, ἴδῃσί τε παντοίῃσι καὶ χιόνι συνηρεφέα. Eur. Orest. 957.

Ὦ δυσταλαινα παρθέν' ὡς ξυνηρεφὴς
Πρόσωπον εἰς γῆν σὸν βαλοῦσ' ἄφθογγος εἶ.

I, 45, p. 49 in codice A., qui est unicus narrationis fons, traditur Alexander in Locrensium fines processisse, deinde venisse ἐπὶ τοῦ Ἀκραγαντινοῦ. In emendando hoc vocabulo corrupto tres viri docti frustra, ut puto, desudaverunt nec ulla mihi probatur conjecturarum, ab iis prolatarum. Ac primum quidem Muellerus censet „Tegyram indicari, quae Boeotiae urbs ad viam sita ex Locride Thebas petenti et Apollinis oraculo clarissima fuerit", afferens Callisthenis fragm. 3. Quae emendatio nimiam infert vim lectioni traditae, quamvis, quod attinet ad sensum, perbona sit [2]). Zacherus (Pseudocallisthenes p. 124) proponit ἐπὶ τοῦ Ἀκραιφίου, quod oppidum fuisse Boeotiae constat, in quo eodem clarum fuisse Apollinis oraculum, apud nullum legimus scriptorem. Rationem palaeographicam si spectas, haec conjectura facilior est et probabilior, quam prior. — Majus denique, a Valerio, „Agragantum" praebente, agi arbitratur de Aetola ejus nominis urbe, quoniam Locris in eam transeat Alexander. Quod duabus de causis falsum est.

1) Codicis A. formam etiam deteriorem reddidit, qui codicem L. fabricatus est, scribens ἐπιροῦτο.

2) Muelleri sententiam amplexus est Prellerus quoque (cf. Griechische Mythologie. 2. Aufl., Bd. II, p. 165, Anm. 2).

Nimis enim ab itinere suo rex deflexisset, si, Thebas petiturus e Locrensium finibus in Aetoliam, deinde in Boeotiam profectus esset. Porro, ubi traditur, in illa urbe floruisse dei oraculum? Equidem Muellero adstipulatus suspicanti, in altera parte vocis corruptae latere substantivum μαντείου, idem negans, certi alicujus oppidi nomen exaratum fuisse, restituo ἐπὶ τοῦ ἄκρου μαντείου. Quum enim in codice archetypo locus parum distincte esset exaratus, haud aegre, itacismo praesertim adhibito, lectio codicis A. oriri potuit, cujus scribae notum esset oppidi nomen, quod est Ἀκράγας. Ex nostro idem mendum in Valerii narrationem fluxit. Mea lectio praeterea totius loci condicione affirmatur. Dicitur enim rex ad summum tendisse oraculum, scilicet ad oraculum Delphicum, quam vim inesse in adjectivo, quod est ἄκρος, multa comprobant exempla. Hac ipsa de causa locus oraculi adderetur, necesse non erat, quum, de quonam oraculo esset cogitandum, satis eluceret ex adjectivo ἄκρος. Praeterquam autem quod veri multo est similius, Alexandrum, Thebas profecturum, e Locride in Phocidem, quam, quod statuit Majus, in Aetoliam ivisse, de Delphis cogitare ea quoque re cogimur, quod Alexander in loco illo, cujus nomen depravatum est, idem fecisse narratur, quod olim fecerit Hercules. Nempe minatus est rex, ni vaticinaretur ipsi Pythia, se tripodem esse asportaturum, sicut Hercules re vera asportavisset. Quod factum tradunt Paus. X, 13. 4. Plutarch. de Ei ap. Delph. 6 et Apollod. II, c. 6, s. 2, § 5. 6, ipsorum Delphorum nomen commemorat: Εἰς Δελφοὺς παραγενόμενος ἀπαλλαγὴν ἐπυνθάνετο τῆς νόσου· μὴ χρησμῳδούσης δὲ αὐτῷ τῆς Πυθίας, τόν τε ναὸν συλᾶν ἤθελε καὶ τὸν τρίποδα βαστάσας κατασκευάζει μαντεῖον ἴδιον. Qua de causa Pseudo-Callisthenem de eodem loco, id est de Delphis, acturum fuisse, mihi quidem penitus persuasum est, praesertim quum eum in hac re Plutarchi pressisse vestigia suspicer, qui (vit. Alex. c. 14), tripodis quidem ablati mentionem non faciens, Delphicae Pythiae ab Alexandro vim illatam esse narrat. Addere liceat ad confirmandam meam sententiam testimonium Plinii, qui Nat. Hist. XXXIV, 66

dicit, „Euthycratem optime expressisse Herculem Delphis et Alexandrum“.

I, 46, p. 50 Alexander legatis Thebanorum, qui, rege Macedonum appropinquante, intra muros se incluserant, secundum codicem A., in quo uno exstat ea narrationis pars, dicit: Ἀρίστην γ' εἶναι (i. e. ἀρίστων γάρ ἐστι M.) ἀνδρῶν, ἐν ἐλευθέρῳ πεδίῳ μάχεσθαι, γυναικῶν δὲ ἔργον καταχλείεσθαι, δίνας τοὺς μέλλοντας. Extrema verba, utpote sensu carentia, Muellerus omnino rejecit: immerito, ut mihi quidem videtur. Restituerim potius δεδιυίας τὰ μέλλοντα, vel si mavis δεδιυιῶν τ. μ., quamquam ne hoc quidem necessarium est. Nam apud optimae notae scriptores sat multa jam inveniuntur exempla attractionis neglectae, ut genitivum aut dativum propositionis principalis sequatur accusativus participii (cf. Buttmann Gr. Gr. § 142, Anm. 1). Forma autem, quae est δέδια, a Ps.-C. minime est aliena praeter formam δέδοικα. cf. II, 11, p. 67 δεδιότες, II, 14, p. 69, II, 24, p. 83 ἐδεδίει, II, 15, p. 71 ἐδεδίειτε.

II, 4, p. 59, in oratione Demosthenis quam ex uno codice A. cognoscimus, lacuna est, quam nullo fere negotio expleri posse confido. Nam quae in hoc codice olim scripta erant, ea Valerius imitando servavit. Cujus verba sunt haec: „Athenienses nos, qui amici Alexandro fuerimus .... inimici tanto viro quod malumus esse, quam amici, id vero ego dici turpe Atheniensibus puto, fieri posse porro non arbitror. Turpe enim est sqq.“ Quocirca verba codicis haec fere fuisse persuasum habeo: Καὶ νῦν Ἀθηναῖοι φίλοι τυγχάνοντες καὶ καθηγηταὶ Ἀλεξάνδρου, ἐχθροὶ αὐτῷ γίνεσθαι βούλονται· ὃ ἐγώ φημι αἰσχρὸν ἔσεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, εἰ μέλλουσιν οὕτω λαληθήσεσθαι καὶ οὐ δύνασθαι, Αἰσχρὸν γὰρ κ. τ. λ.

II, 5, p. 60, in eodem codice A. lacunam statuere, quam verbum illud solum, quod est διέθεσθε, corruptum putare maluerim. Commemoratur ibi epistola, ab Alexandro ad Athenienses missa, in qua rex amicitiam Atheniensium sibi conciliare, non bellum iis se velle inferre affirmat, quod illi ignoraverint. Deinde pergitur: Ὑμεῖς δὲ ἄλλως ἠνέγκατε

πρὸς ἐμὲ, ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τῆς ἰδίας ἑαυτῶν ἀβουλίας· ὅσα καὶ εὐλαβούμενοι διέθεσθε Μακεδόνας. Muellerus quidem scribendum conjicit δειλιᾶσθε, quod verbum accusativo seriores jungant et quia infra in eadem sententia dictum sit δειλῶς ἔχετε. At locum diligenter examinanti ac Valerii interpretis et imitatoris verborum rationem habenti, longe alia mihi quidem sanandi loci via videtur ineunda. Etenim rex dicturus est, Athenienses, consiliis Macedonum non cognitis, imprudentia occaecatos injuste egisse et hostiliter contra Macedones. Hujus enim rei in sequentibus affert argumenta. Quare non timendi verbum erit restituendum, quum timoris significatio jam insit in participio, quod est εὐλαβούμενοι, sed hostiliter s. inimice agendi. Quod ex sententiarum connexu apparet, idem comprobatur verbis Valerii: „Enimvero vos, qui conscientia premeremini, nihil omnino semel erga mea obsequia consultantes, quin etiam explorantes idoneum tempus, quo meos Macedonas infestaretis, id animi prodidistis, quod adversum nos tunc etiam habuissetis, quum sqq.“ Ergo equidem scripserim πολεμικῶς s. ἐχθρῶς διετέθητε πρὸς τοὺς Μακεδόνας. Notissimus est usus passivi διατίθεσθαι, conjuncti cum adverbio, cujus elocutionis sensus idem est, atque verbi διακεῖσθαι. Jam vero hac mutatione et is efficitur sensus, quem repraesentavit Valerius et quem flagitat loci natura. Nempe exemplis jam demonstratur, pro beneficiis reddidisse Athenienses Macedonibus injurias. Propterea culpae sibi conscios jam timidos eos esse: Ὅθεν μὴ θαῤῥοῦντες τῇ γνώμῃ ἔφ' οἷς ἡμαρτήσατε, δειλῶς ἔχετε, unde elucet, hujus loci condicionem diversissimam esse ab illius et apte agi de Macedonum metu hic, non apte agi illic.

II, 20, p. 77, de pravatam codicis A. scripturam σύνεμον melius mihi correxisse videor Muellero, qui conjecit συνήμονα. Nam memores itacismi, quem sequitur scriptor noster, rectam formam inveniemus, si scripserimus σύναιμον. Quae conjectura et majore se commendat facilitate et magis convenit Darii consilio. Etenim qui Alexandro matrem suam tanquam ipsius matrem assignavit filiamque in matrimonium

dedit, is uxorem suam non solum „conjunctam s. una habitantem domus sociam“ fore voluerit, qui sensus inest in verbis Muelleri. Deinde tautologiam vitare vix poterimus, quum sensus vocum συνήμων atque οἰκέτης fere idem sit. Nam vocabulum οἰκέτου h. l. significatione primitiva adhibitum est, qua est „domum habitans s. domesticus“. Sic explicat Hesych. s. v. Οἱ κατὰ τὸν οἶκον πάντες et Suid. s. v. Οὐ μόνον οἱ θεράποντες, ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ κατὰ τὴν οἰκίαν, afferens Aristoph. Nubb. 5. Οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν. Etiam pedestris sermonis scriptores οἰκέτας non solum famulos, sed matres familias et liberos intelligunt. Cf. Herod. VIII, 4. Προσμεῖναι χρόνον ὀλίγον ἔστ' ἂν αὐτοὶ τέκνα τε καὶ τοὺς οἰκέτας ὑπεκθέωνται. Xenoph. Instit. Cyr. IV, 2, 2. (Οἱ δὲ Ὑρκάνιοι) καὶ τὰς ἁμάξας τὰς ἑαυτῶν καὶ τοὺς οἰκέτας ὁστάτους εἶχον. V, 4, 2. Προσέτειλε δὲ τοῖς αὑτοῦ οἰκέταις .... τὸ τεῖχος... παραδοῦναι τῷ Ἀσσυρίῳ. Anab. IV, 5, 35. Ὤιχετο ἄγων (αὐτὸν) Ξενοφῶν πρὸς τοὺς αὑτοῦ οἰκέτας. Ab hac vero significatione ne adjectivum quidem συνήμων multum abest. Contra adjectivo, quod est σύναιμος, apte indicatur, debere Darii uxorem non modo habitare una cum Alexandro, sed ab eo tanquam consanguineam haberi. Quod bene congruit cum verbis antecedentibus: Μία γενέσθω συγγένεια Δαρείῳ καὶ Ἀλεξάνδρῳ et addens παρατίθημί σοι τὴν γυναῖκά μου ὡς σύναιμον οἰκήτην, illud Darius Alexandrum vult monere, ut uxorem ipsius, quippe socrum futuram, eodem modo aestimet, ac si e sua gente sit. Verba codicis A, non intellecta ab auctore codicis B, qui exaraverat ὡς σὺν ἐμοὶ (pro σύνεμον i. e. σύναιμον) οἴκτειρον (pro οἰκέτην), a codicis C. scriba in eam redacta sunt formam, id quod solet facere, ut sensu non prorsus saltem carerent: ὡς ἐμὲ οἴκτειρον. At, quod docuisse mihi videor, optime possunt defendi et explicari verba codicis antiquissimi, accepta facili mea conjectura.

II, 26, p. 83, codex C. tradit, Aegyptiorum urbem ab Alexandro obsideri coeptam esse: Ἅπαν τὸ Μακεδονικὸν καὶ τὸ Περσικὸν στράτευμα ἔνοπλον τῇ πόλει κύκλωθεν παρειστήκεισαν οἱ παντῇ χρυσέοις κατατεθωρακισμένοι θώραξιν. Equidem de verbis ipsis nihil fere mutandum censeo nec probo Muelleri

rationem, qui οἳ πάντες ἦσαν scripsit. Immo et hoc vitium ex itacismo profectum est et amovebitur, si παντοίως scripserimus. Ergo finguntur milites „omnibus modis s. omnifarie i. e. prorsus aureis thoracibus armati“.

II, 27, p. 84 commemorantur in codice C. verba statuae Nectanabi inscripta. Est vero ibi lacuna. Ac mihi quidem non est dubium, quid supplendum sit, respicienti locum I, 3, quo oraculi illius fit mentio, quod quum evanuisset Nectanabus rex, Aegyptiis editum erat: Οὗτος (sc. ὁ Νεκτανεβὼς) Αἰγύπτου ἐκφυγὼν κρατερὸς, ἄλκιμος, πρέσβυς, βασιλεὺς, δυνάστης ἥξει μετὰ χρόνον νέος τὸ γηραλαῖον ἀποβαλὼν τόπον [1]), εἶδος, κόσμον κυκλεύσας, ἐπὶ τὸ Αἰγύπτιον πεδίον, ἐχθρῶν ὑποταγὴν διδοὺς ἡμῖν. Deinde pergitur: Οὕτω δοθέντος τοῦ χρησμοῦ τούτου, μὴ νοήσαντες τὴν λύσιν, εἰς τὴν τοῦ ἀνδριάντος τοῦ Νεκτανεβῶ βάσιν γράφουσιν τοὺς στίχους. Ita narratio in codice A. quidem comparata est, qui de rebus ad Aegyptum pertinentibus disertius solet agere. Contraxerunt hanc narrationem codices BC. afferuntque oraculi formam hanc: Οὗτος (codex C. addit inepte εἰπὼν οὕτως) ὁ φυγὼν βασιλεὺς ἥξει πάλιν ἐν Αἰγύπτῳ, οὐ γηράσκων, ἀλλὰ νεάζων καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἡμῶν (B. ὑμῶν) Πέρσας ὑποτάξει. Καὶ συνεζήτουν τί ἄρα θέλει (εἶναι addit C.) τὸ εἰρημένον αὐτοῖς. Καὶ μὴ εὑρόντες γράφουσι τὸν δοθέντα (B. τὸ δοθὲν) αὐτοῖς χρησμὸν ἐπὶ τὴν βάσιν (B. τῇ βάσει) τοῦ ἀνδριάντος Νεκτανεβῶ. Jam nostro loco unicus est fons codex C. Hujus igitur auctor, qui oraculum in pectore Nectanabi scriptum fuisse finxit, recordatus vaticinationis illius pristinae, qualem exhibuerat codex A. uberiorem, mentionem injecit orbis terrarum, a rege circumeundi. Quum vero verba codicis A. non describeret, sed memoriter tantum repeteret, alia usurpavit vocabula, eundem sensum habentia. Quocirca me quidem judice nihil aliud erit inserendum inter verba νοστήσει et γαῖαν, nisi κυκλεύσας [2]).

---

[1]) Quae de sanando hoc loco protuli, vide p. 7 sqq.

[2]) Hanc conjecturam antequam pro certo possim affirmare, quanta sit omnino codicis lacuna, statuendum sane erit.

II, 35, p. 88, codex C. intexit narrationem de Brachmanum insula[1]). Alexander insulam ipse perscrutaturus, hoc ne faciat, impeditur a Philone, qui, ne quid periculosi accidat regi, priorem se in illam navigaturum promittit, ad quae ille respondet: Ἀλλ' οὐδ' ἐγώ σε θελήσαιμι πρῶτον εἰσελθεῖν τὸν ἐμοὶ περιλημένον, μήπως καὶ σὺ δυστυχήσῃς. Quae forma sit περιλημένον, equidem non sum assecutus. Certe orta est ex adjectivi accusativo, quod est περιφίλητος. Hujus enim sonus persimilis est vocis exaratae sono nec erat difficilis horum vocabulorum inter se commutatio. Quam conjecturam si amplectimur, optime intelliguntur verba sequentia, quae illud adjectivum περιφίλητον disertius et amplius explicant: Καὶ τίς μοι φίλος ἕτερος ἢ σὺ ἐν κόσμῳ; Alioquin enim prorsus non cohaeret hoc enuntiatum cum antecedenti.

II, 38, p. 89 in deserta quadam terra cancrum traditur Alexander invenisse, de quo pergit codex C. ita: Ἰδόντες δὲ αὐτὸν οἱ στρατιῶται καὶ βάλλοντες δόρασιν, ἀνεῖλον αὐτὸν μετὰ βίου. Mendosum esse vocabulum βίου quum eluceat, legi proponit Muellerus βίας, idem confitens, ne hoc quidem esse genuinum. Facit sane cum viro doctissimo codex L., id quod haud leve illius conjecturae videri possit adjumentum. Nec vero illa lectio recte se habet. Immo idcirco in illum codicem irrepsisse mihi videtur, quia mendum, in archetypo jam exaratum, de suo corrigere voluit codicis L. scriba. Attamen erraverunt et ille et editor doctissimus. Justa scriptura certe fuerit μετὰ ἰοῦ et quum librarius percepisset υιοῦ (sic enim scribebatur et pronuntiabatur „wiu"), hanc formam exaravit, quam seriores demum mutaverunt in βίου, quamvis fortasse in ipso codice C. exstet haec forma[2]). —

[1]) Quae auctor codicis C. narrat h. l. de Brachmanum insula, eadem codex A. III, 17 de insula quadam factum esse tradit, quae belua fuerit et, postquam Philo conscenderit, statim sit summersa. Plura de hac fabula ipsa deque ratione, quae in enarranda ea intercedit inter singulos Ps.-C. libros, attulit Zacher (Pseudocallisthenes. Forschungen zur Kritik und Geschichte der ältesten Aufzeichnung der Alexandersage. Halle 1867.) p. 147 sqq.

[2]) Idem codex C. ex. gr. I, 43, p. 48 praebet Αὐδηρα pro Ἄβδηρα, qua scribendi ratione fere semper utitur auctor codicis L.

Veneno igitur milites sustulerunt cancrum. Nempe cogitandum est de sagittis venenatis, in os beluae jactis, quibus milites illam interfecerint. Tali pacto contrarium quoque servatur, quod statuere scriptorem voluisse neminem fugiet. Tela ferrea cancro nullum intulere damnum; quum vero tela jactarent venenata, mox interfectus est. Contra si codicem L. sequamur, quid sibi velint verba: σίδηρος γὰρ οὐκ εἰσήρχετο ἐν τῷ ὀστράκῳ αὐτοῦ, non comparet. Nam si bestiam interfecerint milites μετὰ βίας, gladios et hastas, res igitur ex ferro factas, adhibitas fuisse negari nequibit et hoc ipsum repugnat enuntiato sequenti, quo affirmatur, ferrum in cutem squamosam cancri omnino non penetrasse. At mea emendatio contrario illi patrocinatur et proxime accedit ad literas, quae in codice ipso exstant.

II, 44, p. 94, traditur Alexander in terra Solis invenisse homunciones, unum pedem habentes, cepisse, dimisisse, a dimissis derisus esse. Jam sequitur in codice C., qui solus hanc partem praebet: Αὐτὸς δὲ (sc. ὁ Ἀλέξανδρος) ἀκούων καὶ θεωρῶν τὸ σκυθρωπὸν ἐνήλατο. Cujus propositionis verbum misere est corruptum. Muellerus legi proponit: τὸ σκυθρωπὸν ἀφεὶς ἐνήσατο vel τ. σ. ἀπελήλατο. Perbonus quidem his emendationibus efficitur sensus; eaedem nimis recedunt a librorum memoria. Non scriptum fuisse a Ps.-C. compositum aliquod praepositionis ἐν. ex toto apparet sententiarum connexu, qui verbum deponendi, abjiciendi, removendi flagitat, abs qua significatione abhorrent verba composita cum praepositione ἐν. Scribendum igitur ἀφείλετο s. ἐξείλετο olim ratus, nunc rationem habens structurae simplicis verbi ἅλλεσθαι, a Ps.-C. usurpatae, non dubito restituere ἐξήλατο. Nempe I, 15, p. 15 omnes codicis exhibent: Ἐκεῖνος ὅλης τῆς οἰκουμένης βασιλεύσει .... ὅστις τὸν Βουκέφαλον ἁλλόμενος διὰ μέσης τῆς πόλεως (ὁ. μ. τ. π, ἁλλόμενος A.) διοδεύσει. Transitive igitur positum est, ut ἅλλεταί τις ἵππον sit „saliens conscendit quis equum". Jam vero quum ἐξάλλεσθαι significet „desilire", non video, cur ne hoc quidem cum accusativo potuerit consociari a nostro scriptore. Accedit, quod proprie valet „saliendo se ab aliqua re referre

s. aliquid effugere“ eaque de causa non ita absurdus est appositus accusativus, quamvis alios et poëtas et scriptores absolute ponere aut genitivum, aut praepositionem aliquam adjungere solere libentissime concedam [1]). Quare meae conjecturae, quae quidem mutata una litera fit neque tantam infert vim lectioni traditae, quantam Muelleriana, sensus est hic: „Quod quum Alexander audivisset ac vidisset, tristi morosoque abjecto statim vultu, ridere coepit s. conatus est.“

III, 2, p. 95, referunt libri epistolam Pori ad Alexandrum. In cujus initio codices multum inter se differunt. Ac vetustissimus A. exhibet: Τί δὲ τοῖς τῶν ἑτέρων αὐτύχημα ἀπώλεσας; B.: Τί δέ σοι καὶ τοῖς συνοῦσι χιμασίαν παρέχεις; L.: Τί δὲ τοῖς συνοῦσιν σοι χειμασίαν (superscripto συμαχῖ, nisi haec est Zacheri annotatio, e codice C. petita) παρέχεις; C.: Τί δὲ τοῖς σύν σοι συμμαχι παρέχεις; Ex his lectionibus lectio codicis A. maxime est perspicua; ceterorum sensu carere censeo. Nec placet mihi conjecturarum, quas protulit editor, omnium ulla: χειμασίαν οὐ παρέχεις vel ἀτυχήματα s. καμάτους s. συμφορὰν παρέχεις; omnes enim parum similes sunt voci in codice B. exaratae. Ac primum quidem de sensu scripturae primitivae non erit dubitandum. Porus indignatur, quod Alexander, utpote mortalis, ipsi, qui sit deus, bellum audeat inferre, quod illi perniciei sit futurum, quum mortales potestate et opibus fere cedant immortalibus. Latet igitur in corruptis illis formis, quae sunt χιμασίαν et συμμαχι, vocabulum significans aut calamitatem aut fiduciam; illam, quia homines, cum diis certaturos, victum iri confidit Porus, hanc, quia Alexander homo, viribus inferior, suorum fiduciam augere conetur. E tali vocabulo utraque orta est corruptela ita, ut sono vocis primitivae decepti, nostras illas procuderent librarii. Non cogitandum autem est de particula οὐ, quae ante praedicatum παρέχεις exciderit, id quod placuit Muellero. Tale enim enuntiatum sententiarum connexui penitus repugnat. Jam mihi respicienti ea, quae

1) Similis est structura verbi ἐξιέναι in eodem codice C. I, 26, p. 27 Ὡς δὲ τὴν πόλιν ἐξῆσαν.

prodit codex A., veri multo est similius, restituendam esse vocem, quae notionem habeat calamitatis, quam fiduciae, quia hoc pacto eadem sententia, atque τὸ τῶν ἑτέρων εὐτύχημα ἀπώλεσας, aliis tantum verbis, exprimitur (nisi forte „calamitatem alicui inferre s. praebere“ idem est, ac „fortunam alicujus pessumdare“). Itaque ex omnibus ejusmodi vocabulis maxime mihi probatur δυστυχία, quippe cujus sonus haud multum distet a sono vocum corruptarum, quae exaratae fuerint a librariis, opinantibus, re vera eas esse dictatas.

III, 4, p. 99 codex A. memoriae prodit, quonam modo Aornis petra expugnata sit ab Alexandro: Ἐκελεύσατο κατασκευασθῆναι πασσάλους σιδηροῦς καὶ τούτους ἐμπεθῆναι εἰς τοὺς χρημνούς κ. τ. λ. Valde equidem miratus sum, quod non jam Muellerus in rectam incidit lectionem, qui ἐμπαγῆναι fortasse ponendum esse suspicatur. At me quidem judice certo certius est, legendum esse ἐντεθῆναι, cui mutationi et ratio palaeographica et sensus favet. Primitiva haec est significatio verbi ἐντιθέναι, qualis occurrit ex. gr. Plat. Legg. II, p. 666 C. Εἰς πῦρ σίδηρος ἐντεθείς. Eur. Iph. T. 632.

Πολύν τε γάρ σοι κόσμον ἐνθήσω τάφῳ. Quam conjecturam rectius se habere si persuasum mihi est Mulleriana, noli propterea arrogantiae nimiaeque me arguere fiduciae.

III, 17, p. 121 codex A. Alexandrum scribentem facit ad Aristotelem praeter alia haec: Ἐμείναμεν δὲ ἡμέρας ἡ ἐπὶ τῷ ἀκροτηρίῳ καὶ ὁράμεν εὐδόμενον τὸ θηρίον ἐλέφαντας ἐπ' αὐτῷ ἔχον, in quibus verba καὶ ὁράμεν εὐδόμενον intelligi nequeunt. Muellerus quidem, nisus Valerio, ita mutavit: Καὶ εἴδομεν ἑβδομαδάριον τὸ θηρίον. Nempe aqud interpretem latinum legimus hoc: „Tum in illo promontorio.... bestiam quoque vidimus praegrandi admodum et inopinabili magnitudine, quam Hebdomadarion vocant“. At mea quidem sententia inverso ordine procedendum est: primum vitiosa nostri scriptoris verba sananda sunt, e quibus decurtatis monstruosa demum Valerii lectio certe manavit, quem quum in aliis opusculi partibus liberiore modo de verbis exemplaris sui mutantem videmus, tum in hac ipsa narratione

suo arbitrio indulsisse persuasum habeo. Praeclare Zacher (Pseudocallisthenes p. 11) dicit: *„Manche Wunderlichkeit anderer Bearbeitungen scheint aus alten Schreib- und Lesefehlern* (sc. der Hss. des Ps.-C.) *entsprungen zu sein“*. Sic corruptum nomen „Divinopatri“ III, 31, p. 144 ortum esse arbitratur e verbis codicis A., parum dilucide exaratis, qui praebet III, 31, p. 144. Τῆς δὲ μητρὸς αὐτοῦ Ὀλυμπιάδος πλεονάκις γραφούσης περὶ τοῦ Ἀντιπάτρου καὶ δεινοπαθούσης σκυβαλίζεται μήτηρ οὖσα ἀνθρώπου et quod viro doctissimo videtur conjectura probabilis, esse verba καὶ δεινοπαθούσης fontem, e quo fluxerit nomen proprium „(et) Divinopatri“, hoc meo intellectui est certum [1]). Jam simile quid hoc quoque loco factum esse judico. Ex iis enim, quae in codice A scripta erant, Valerius elicere posse sibi visus est nomen, quale est „Hebdomadarion“ eadem sane injuria, qua illic Divinopatrum quendam finxit. Zachero quoque locus videtur suspectus, quamvis speciem recti et certi prae se ferat: cf. p. 150: *„So lautet die Angabe im Valerius: anscheinend bestimmt und sicher, doch schon wegen des Namens „Hebdomadarion“ bedenklich“* [2]). Nec mihi quidem minorem movit suspicionem duabus

1) Rejicienda igitur est emendatio, quam proponit Maius (ed. Julii Valerii. 1818) p. 286 „Cleopatrae“.

2) Meam si licet sententiam proferre, qua ratione Valerius in id potissimum inciderit vocabulum, puto, quum literas in codice A. parum dilucide exaratas nec recte legere potuerit nec intelligere, idem restituere et exprimere voluerit, libentissime eum recepisse in contextum verborum vocem, quae nota ei fuerit ac similis fere literis illis mutilatis. Atqui quum elegerit vocabulum, quod est Hebdomadarios aut Hebdomadarion — utrumque enim statuere licet per ipsa ejus verba — auctorem ipsum monachum, vel certe christianum fuisse suspicor. Etenim „ἑβδομαδάριος“ et „hebdomadarius“ nominabatur frater vel monachus, qui suas vices in ministeriis monasticis per hebdomadam exsequebatur, et munus ejus „ἑβδομαδάριον“ et „hebdomadarium“ (cf. Ducange: Gloss. med. et infim. graec. et latin. s. vv.) Notissima igitur et usitatissima fuit illa vox, praesertim quum, quot erant officia, totidem essent hebdomadarii. (Ducange l. a. duodecim affert genera.) Ut igitur lacunam exemplaris graeci expleret, me quidem judice illud vocabulum — sive hebdomadarios sive hebdomadarion — in narrationem inseruit Valerius, quid significaret, sane haud curans.

de causis. Primum enim apud nullum alium scriptorem ulla fit hujus beluae ejusque nominis mentio. Deinde ex tota componendi ratione ne divinare quidem possumus, quale fuerit illud animal, cui tale imposuerit nomen scriptor. Derivandum enim esset a forma, quae est ἕβδομος, vel potius a substantivo ἑβδομάδος. Quominus autem de belua cogitemus septem cutibus induta — ut compositum sit ex ἑπτὰ et δέρος vel δορά — ea re impedimur, quod falsa haec conjungendi inter se vocabula methodus ab ipso Ps.-C. est aliena. Illud enim si voluisset significare, formas procudisset, quales sunt ἑπταδέριον s. ἑπταδόριον, vel simile quid. Nam ubi agitur de septemplici Ajacis scuto, I, 42, p. 48, omnes libri recte exhibent τὸ ἑπταβόειον. — Quum igitur lectionem hanc falsam et quam Muellerus demum scriptori obtruserit, nullo pacto ferri posse persuasum habeam, equidem eam inii loci corrigendi viam, ut quam artissime me applicem ad verba codicis ipsius nec nimiam scripturae traditae vim inferre mihi videor mutans: καὶ δὴ μὲν εὕρομεν τὸ θηρίον („et tunc quidem s. et tunc ipsum invenimus beluam illam“). Quod scribit Ps.-C. τὸ θηρίον, non θηρίον, quod ferte exspectaveris, hoc ideo factum puto, quia regem communicantem facit hanc rem cum Aristotele, utpote historiae naturalis peritissimo, qui ipse jam de hoc animali audierit, quod Alexander se oculis conspexisse testatur. Quin fama fuisse videtur, unum ejusmodi animal vivere, non complura, quod quidem rex in illis regionibus repererit. Jam, hac explicatione probata, verborum structura nihil habet, quod offendat. Quomodo locum constituerit editor, ita e grammaticae ratione vix poterit defendi. Nam aut scribendum erat: τὸ ἑβδομαδάριον, τὸ θηρίον ἐλέφαντας ἐπ' αὐτῷ ἔχον, aut: τὸ ἑβδ., θηρίον ἐ. ἐ. ἀ. ἐ., ἑβδ. θηρίον ἐ. ἐ. ἀ. ἐ., quarum mutationum si unam amplexus esset vir doctissimus, locum conjecturis refersisset; ἑβδ., τὸ θηρίον, ἐ. ἐ. ἀ. ἐ. restituere non debebat. — Vocabulum autem εὑδόμενον depravatum esse ex forma, quae est εὕρομεν, propterea pro certo affirmaverim, quia scriptor ejusdem verbi, ut aliis locis, quibus Alexandrum per literas cum suis communicantem facit ea,

quae invenerit videritve (cf. II, 43, p. 92 εὕρομεν quinquies et εὑρον), ita in hujus quoque epistolae parte antecedenti formas εὕρομεν et εὑρον (p. 120) et in sequenti εὕρομεν et ἐξεύρομεν (p. 122) usurpavit.

II.

Jamjam venio ad alteram dissertationis meae partem, qua continentur nova vocabula, quibus usi sunt primi ac soli historiae hujus auctores, quae eadem in lexica nondum recepta esse invenio. Attamen mea quidem sententia non rejicienda sunt, sed explicanda et aestimanda tanquam argumenta ejus rationis, qua illi vocabulorum copiam locupletare studuerint. Namque quum habeamus ἅπαξ λεγόμενα Homeri, tragicorum, aliorum et poëtarum et scriptorum, cur ab nostro abjudicemus, cui non modo facultatem fuisse nova vocabula formandi, immo interdum necessitatem, persuasum mihi est. Illam habuit, quippe cui lingua graeca esset vernacula, ut facillime ex analogia vocum notarum atque usitatarum fingere posset similes, usque ad ipsum ignotas et inauditas. Accedit, quod Pseudo-Callisthenes est fabulae scriptor, in quem talem libertatem magis convenire, nostrorum ejusdem generis scriptorum affatim docet exemplum, qui in adhibendis novis vocabulis tantum abest, ut sint anxii et religiosi, ut in hac ipsa re nimia interdum utantur libertate. Idem coactus fuit, hic illic novas introducere voces, quum saepe ageret de rebus, in quibus significandis antecedentium omnino destitutus esset auctoritate. Itaque suo jure illam sibi vindicavit libertatem, quam concessam et concedendam esse scriptori, dicit Cicero de Fin. III, 1. 3. „Verba parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina“. Non alienum autem omnino fuisse a Pseudo-Callisthene nova verba formandi studium, ejus rei causam equidem inde peto, quod praeter alia vocabula rarissima usurpavit voces quasdam, quae testibus Stephano et Ducangio nisi uno loco, in altero scilicet opere, non leguntur. E quarum numero sunt σημειολότης I, 4, p. 4, cf. I, 11, p. 11; ὀνειροπομπία (A., ὀνειροπόμπιον L.) I, 5, p. 5; ἱμαντομάχος I, 18, p. 18, I, 46, p. 53; τοξοβολία III, 3, p. 97; ἱμαντοῦν III, 22, p. 131. Auget vero mihi animum persequendi hujus propositi id, quod nonnulla horum ἅπαξ εἰρημένων in Stephani thesauro jam commemorata reperi, ex iis sine dubio scriptoris nostri partibus, quae ante editionem Muellerianam a Fabricio et Bergero de Xivrey publici juris factae erant. Sunt autem haec: περιμαστεύειν I, 3, p. 3, τριγάραχτος, λυθότεχνος, συναστρεῖν I, 4, p. 4, πλανικός I, 7, p. 7, ἐνυβριστίαλος I, 18, p. 18 (quam vocem delendam esse censet Muellerus), τάβλωσις I, 19, p. 19, αὐλομελῳδία I, 27, p. 29, I, 46, p. 51, γλοϊκός II, 33, p. 86, ἀποτερατοῦν III, 17, p. 124. — His igitur nova vocabula jam additurus sum alia, quae non minus recte sese habere arbitror. Atque maxima ex parte sunt composita, quorum significationes hac ipsa de causa facile perspiciuntur atque inveniemus, scriptorem plerumque analogias secutum esse similium compositionum nec raro sola soni similitudine fuisse ductum. Itaque ut sciens vel inscius pleraque vocabula composuit recte, ita eundem saepius formas procudisse cognosces, quae ex regulis compositionis non possint defendi. Tamen has ipsas nullius momenti esse nego, quia docent, qua ratione temporum decursu leges linguae paullatim evanuerint vel certe sint immutatae. — Similis est ratio simplicium vocabulorum novorum, quorum nonnulla ita sunt exorta, ut scriptor vulgaris sive declinationis sive conjugationis loco usurpaverit novam, exitum igitur mutaverit, qua in re multis adjuvabatur exemplis linguae graecae, formis duplicibus abundantis.

Sed misi, id quod par fore spero, novorum vocabulorum genera haec: primum eas voces, quas librariorum securitate aliquo modo depravatas esse statim apparet[1]). Deinde formas neglexi, quae ex itacismo fluxerunt multae[2]). Coactus

[1]) Cf. v. c. ὀνειροπολίτης I, 35, p. 40, ἐλωρησάμην II, 5, p. 60, multa alia variae naturae, quae legens ipse corriges.

[2]) Quaedam formae videntur tantum novae esse. Sic ἐκδαφίσω I, 24, p. 25, τοξηθῆναι I, 31, p. 32, ἐπήσῃ III, 6, p. 101, εὐανδρίσαι III, 33, p. 148,

vero fui praetermittere voces multas, praesertim codicis A., variis foedisque inquinati vitiis, quae quid significent, nullo potui pacto intelligere. In iis enim explicandis aut nulla adjuvamur similium analogia, aut sensus nihil ad enucleanda ea affert[1]). Quos locos sine meliorum codicum ope nec restitui nec intelligi posse, recte agnovit Muellerus (cf. pp. 11, 32, 37, 51, 52, 53, 79). Ne eas quidem formas me commemorasse, quas conjecturis correxisse mihi videor, non est, quod moneam. Consulto idem omisi voces quasdam novas, quas editor demum correcturus falso in verborum contextum intulit, sicut δωρατισθεὶς I, 11, p. 10, εὐπλεύσας I, 18, p. 18, ἀσωφρονεστέροις II, 2, p. 57, πάγκομοι s. παχύκομοι II, 33, p. 86. Etenim duobus primis locis scripturae codicis rectae sunt; tertio et quarto restituenda erant vocabula nota et quae apud alios quoque auctores occurrerent. Denique de significatione ac forma verborum, e lingu ispetitorum peregrinis, velut Τύβι, I, 32, p. 35 (nominis mensis Aegyptii), μουθοῦ ἐμασῦσαι (A), μουθεὰ μαθοὺς (B), μου θεαματου (L) III, 17, p. 123 (formarum Indicarum solis et lunae), itemque de nominibus animalium fabulosorum, qualia sunt δάνδηκες II, 33, p. 86 (canum Macedonicorum genus), βούκριοι, κυλιοπέρδικες III, 17, p. 122 videant, qui harum rerum sunt periti.

Contra rationem habui vocabulorum, quae leguntur apud Palladium, quia totum ejus opus in codicem A. insertum est (III, 7—16) et nonnulla in codicem C. quoque fluxerunt (III, 12—17), quae eadem in Stephani thesauro frustra quaesiveris praeter formas ἐγκλιματώδης III, 8, p. 104 et ἀμόγλα III, 12, p. 107.

Spero autem, quasdam novarum vocum apud alios quoque obvias fore, si seriorum scriptorum opera magis innotuerint et tractata erunt.

---

recte derivanda erunt a verbis, quae sunt ἐκδαφίζειν, τοξεύειν, ῥιπίζειν, εὐανδρεῖν.

1) Voc bula, qualia sunt ὑστεροφρονεῖν I, 12, p. 11, βανύς I, 33, p. 37, ἐνάργυραι II, 21, p. 79, alia, fieri potest, ut sensum aliquem praebeant, quem quominus cognoscamus, misera locorum impedimur natura.

A. Nomina.

a. Nomina substantiva.

Ἀμουμάντεις — I, 4, p. 4 (AL). Enumerantur a Nectanabo inter alia vatum genera. Muellerus quidem, num justum sit vocabulum, dubitat. Potuit sane fieri, ut vox, in codice archetypo exarata, negligentia librarii alicujus depravaretur, quum variis e rebus veteres solerent divinare (cf. Aelian. de nat. anim VIII, 5) et praecipue multa exstarent vocabula, composita ea quidem cum substantivis μάντεως et μαντείας, velut ἰατρόμαντις Aesch. Suppl. 263, Eum. 62, Agam. 1623, λιβανόμαντις Eustath. ad Il. ω. 221, p. 1346. — Artemidorus II, 69, commemorat ἀστραγαλομάντεις, τυρομάντεις (Cornarius videtur legisse πυρομάντεις), γυρομάντεις, κοσκινομάντεις, νεκυομάντεις. Apud ipsum Ps.-C. invenis ὀρνεομάντεις I, 4, p. 5 et λεκανομαντείαν I, 1, p. 2. Quarum vocum siquis velit unam restituere, hariolari tantum poterit, nihil pro certo affirmare. Sed nulla opus est conjectura. Nempe enumerantur sine ullo ordine sane diversa vatum genera. Post vocem igitur μάντεων, qui solo dei alicujus auxilio nixi oracula edunt, quum cetera externa aliqua re adhibita vaticinentur, scriptori in mentem venit species eorum, qui sunt ἀμουμάντεις i. e. „vates, qui ab Jove inspirati oracula edunt“. Nectanabum vero, regem Aegyptiorum, ipsius Jovis afferre vates, non est, quod miremur, quippe cujus clarum in Aegypto oraculum fuisse, nemo ignoret. Atqui Aegyptia forma illius dei, quem Ἄμμωνα nominant Graeci, est Ἀμοῦν vel Ἄμμουν, id quod elucet ex Plut. Moral. p. 354 C. Ἐπὶ δὲ τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν, κ. τ. ἑ. Herod. II, 42. Ἄμμουν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Jamblich. de myster. VIII, 3, p. 159. Ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς.... Ἀμοῦν κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται. — Scriptura igitur quum fluctuaret inter formas Ἀμοῦν et Ἄμμουν, factum est, ut codicis A. auctor scriberet ἀμουμάντεις, codicis L. ἀμμουμάντεις. Aegyptia autem forma usurpata est, quia regem Aegyptium facit scriptor dicentem et quia inventor

verbi, auctor codicis A., passim rerum ad Aegyptum pertinentium majorem prodit scientiam.

ἀνακλιντήρ — II, 14, p. 69 (A). Formavit scriptor hoc nomen agentis, quale fere appellant, secundum analogiam similium, velut σωτῆρος. Significatur is, qui accumbit estque idem, quod ὁ ἀνακλίνων. Alia significatio inesse omnino non potest stultitiaeque tribuendum est librarii, quod pro nominativo Δαρεῖος scripsit Δαρείου. Affirmatur haec significatio enuntiatis sequentibus, in quibus verba usurpavit scriptor: Πρῶτος δὲ ἀνακλιντὴρ ἦν Δαρεῖος, δεύτερος... τρίτος.... εἶτα πάλιν... καὶ Φαλάρτης μετ' αὐτόν; jam sequitur; Μιθριαδὴς ἕκτος κατεκλίθη (quod idem est atque ἕκτος ἀνακλιντὴρ ἦν M.).... ἔτι τε Κανδαύλης... ἔκειτο, Μένωπος ἐπανέκειτο... ἔσχατα ἡγεμὼν μέγας Ὀρνίφατος κ. τ. ἑ.

ἀντιμίσθιον — II, 5, p. 60 (A). Hujus substantivi sensus facilis est ad perspiciendum; est enim idem, quem alias habet ἡ ἀντιμισθία (remuneratio). Cf. III, 26, p. 137, ubi solus codex L. praebet ἀντιμίσθιον.

ἀρχιτεχνίτης — I, 32, p. 34 (BC). Consulto mutasse censendi sunt scriptores vocabulum codicis A., quod est ἀρχιτέκτων (L. praebet τεχνῆται i. e. τεχνῖται). Nempe significare volunt, non solum aedificandi, sed cujuslibet alius artis peritissimos ad condendam Alexandriam a rege esse adhibitos. Pro voce igitur, quae est ἀρχιτέχνης, et ipsa duobus tantum locis obvia, novam finxerunt hanc. Suppetebant vero iis ejusmodi compositionum exempla multa, quorum vel unum afferre supervacaneum arbitror. Ne ipsi quidem iis abhorrent, quod comprobant ἀρχιλῃστής I, 36, p. 41 (ABLC), ἀρχιστρατηγός II, 2, p. 56 (A), ἀρχιοινοχόος III, 31, p. 145 (A).

ἀστροθέτης — I, 4, p. 4 (AL). Scriptum quidem exstat in utroque libro forma corrupta ἀπροθέται, sed minime adstipulatus Muellero, qui de προφήταις cogitat, illud, quod supra indicavi, restitui equidem substantivum, quod, facta conjectura mea, jam a Boissonadio receptum esse, postea demum reperi. Licet mihi igitur, eam pro mea vendere, quam eandem solam rectam esse, nemo facile infitiabitur.

Quamquam vero idem substantivum altero quoque loco legitur, novorum vocabulorum seriei id propter novam voci a scriptore datam significationem adjungere me posse confido. Nostro enim loco aliud sonat, atque apud Orph. Hymn. 63. 2. Ἀθανάτων καλέω καὶ θνητῶν ἀγὸν ἄνακτα, Οὐράνιον Νόμον, ἀστροθέτην.

Boissonadius hanc addit vocis interpretationem: „qui conjungit stellas et iis nomen facit", qua re diversas duas significationes ejusdem vocis inter se miscuisse mihi videtur. Namque si Νόμος vocatur ἀστροθέτης, hac re nihil aliud indicatur, nisi Νόμον conjungere stellas earumque ordinem servare atque cogitandum est de stellis ipsis. Sin autem homo nominatur ἀστροθέτης, nisi de imaginibus stellarum earumque nominibus, ab eo inventis non agi comparet. Ergo novam addit Nectanabus vatum speciem, qui stellarum imagines, ex qualibet materia factas, ordinent, componant, disponant et quorum ars in eo constiterit, ut ex ordine astrorum factorum de ordine coelestium astrorum aliquid concludere potuerint. Ab iisdem stellarum nomina inventa esse atque adhibita, consentaneum est. Jam quod vir doctissimus divinavit tantum, ex duobus Pseudo-Callisthenis locis tanquam certi aliquid elicuisse mihi videor. Nempe in eodem cap. paulo infra legimus: (Ὁ Νεκτανεβὼς) τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας καὶ τὸν ὡροσκόπον ἐκκενώσας... συνέθηκε (ἔθηκε L.) τὸν τηλικοῦτον οὐρανὸν ἐν ὀλίγῳ κύκλῳ περιφωτίσας, προθεὶς (προσθεὶς L.) τὸν ἥλιον... τὴν δὲ σελήνην κ. τ. ἑ. et I, 14, p. 14. Nectanabus ab Olympiade vaticinari jubetur, quid Philippus de ipsa facere in animo habeat; pergitur: Θεὶς δὲ (sc. ὁ Νεκτανεβὼς) τὸν πίνακα καὶ τοὺς ἀστέρας σκέπτεται περὶ αὐτῆς. Παρακαθήμενος δὲ αὐτοῖς ὁ Ἀλέξανδρός φησι πρὸς τὸν Νεκτανεβώ. „Πάτερ, οὓς τοίνυν λέγεις ὧδε ἀστέρας ἐν τῷ οὐρανῷ φαίνονται;" Ὁ δὲ „Καὶ μάλα", ἔφη, „τέκνον". Utroque igitur loco ipsum verbum, quod est τιθέναι, de sideribus adhibitum est. Denique cognatum vocabulum ἀστροθεσίας obvium fit in eodem codice A. I, 4, p. 4. Analogiae autem aderant multae; sic νομοθέτης et νομοθεσία et, quod in codice C. I, 19, p. 19 reperimus, ἀθλοθέτης.

Διβολίς — I, 24, p. 24 (A). Sensu loci edocemur, vocabuli vim non diversam esse a vi διβολίας.

Ἐπιχρεία — II, 10, p. 65 (ABLC; in codice L. accusativus falso positus est pro dativo). Derivatum est ab insolito certe adjectivo, quod est ἐπίχρειος (necessarius) et denotat „necessitatem“ vel, quod hujus loci naturae erit accommodatius, „necessaria s. res necessarias“.

εὐμαχία — III, 8, p. 104 (A). Tueor hanc vocem ac praefero lectioni, quae inest in libris Palladii, εὐμηχανία. Apud unum quidem Maximum Tyrium legimus semel adjectivum εὔμαχος, eam habens vim ac potestatem, ut sit „is, quocum facile pugnatur vel res expugnabilis“. Sed nostro loco declarat „peritiam pugnandi“, unde elucet, activam a scriptore adjectivo εὔμαχος subjectam esse sententiam. Quod ideo potuit facere, quia multa adjectiva, composita cum particula εὖ et activa et passiva adhibentur significatione, velut εὐάγκαλος, εὐαίσθητος, εὔεδρος, εὐεπίγνωστος, εὔοδος, εὔπορος, alia. Sensum vero effici hac lectione multo aptiorem, quam voce Palladii apparet, quum agatur de Romanis, quos „bellorum peritos“, quam „ad inveniendum aptos“ nominari, nos omnes malemus.

Θρονιστήριος — I, 34, p. 38 (AB) Codex L. praebet τὸ θρονιστήριον, quod, quin calami lapsu ortum sit e τὸ θρονιστήριον, nemini dubium erit. At utrumcunque genus genuinum est — et me quidem judice prior forma est recta — illud constat, vicarium esse nostrum vocabulum substantivi θρόνου, quod revera in codice C. reperimus.

Ἱπποφονία — III, 25, p. 136 (AC.—L., falsa scriptura usus, ostendit ἱπποφωνία). Hujus compositi analogiae sunt ἀνδροφονία et θηροφονία; recte igitur formatum est, significans „occisionem equorum“. Etenim Amazones ibi scribunt ad Alexandrum: Ἡμεῖς δὲ κατ' ἐνιαυτὸν ἄγομεν πανήγυριν ἱπποφονίαν θύουσαι τῷ Διΐ κ. τ. ἑ. Ergo ἱπποφονίαν θύειν θεῷ idem est atque „deo equum immolare“. Notissima est structura; ut alias omittam, similes sunt huic ναυμαχίαν νικᾶν, πόλεμον στρατεύειν, γάμον μνηστεύειν. Quod igitur Herod. I, 216 dixit (Οἱ Σκύθαι) τῷ ἡλίῳ θύουσι ἵππους vel Strab. XI, c. 8.

(Οἱ Μασσαγέται) τῷ ἡλίῳ ἱπποθυτοῦσι, hoc noster exquisitius sane expressit verbis ἱπποφονίαν θύειν. Simplicior ejusmodi elocutio apud ipsum Ps.-C. exstat II, 21, p. 78 βουθυτήσας. — Valerius autem hanc novam vocem non mutatam in suam recepit narrationem, scribens: „Annuum sacrum (nobis) est, quod hippophonia vocitamus“.

Κώμανος — I, 31, p. 33 (A). Non crediderim, corruptam esse hanc formam: sed idem per eam significari, e totius loci natura colligo, atque per substantiva ejusdem radicis, quae sunt κώμαυλος, κωμήτης, κωμήτωρ.

Λογχοβόλος — I, 46, p. 50 (A). Alio quidem loco non occurrit hoc substantivum, sed verbum tantum λογχοβολεῖν. Teneo nihilominus, quippe solita rectaque ratione ab illo derivatum. E verbis Valerii quoque elucet, Alexandrum „omni telorum genere fatigatos aut prosternere Thebanos, aut vulnerare“ voluisse. Itaque praeter equites etiam funditores commemorantur et „jaculatores hastarum“.

Περίμηρος — III, 17, p. 121 (A). Est nimirum genus quoddam armaturae, quae femora tegat, quum crura κνημῖσι, quae et ipsae ibi afferuntur, sint vestita. A Valerio videmus hoc vocabulum versum esse forma, quae est „femoralia“.

Πνεγχύτης — II, 15, p. 70 (A). Sic enim legendum est pro formis, in codice exaratis, πηνεγχύται et πηνονέγχοι. Insolita quidem est et audax haec compositio et qua florentis aetatis scriptor vix usus fuerit. E duobus enim verbis, quorum alterum et ipsum est compositum, substantivum conformatum est. Attamen haec ratio excusationem aliquam habet, audaciae Pseudo-Callisthenis, quem tractamus, licet obliviscamur. Etenim ἐγχεῖν conjunctum cum infinitivo πιεῖν legis Xenoph. Cyrop. I, 3, 9. Ἵνα κἀγὼ καλῶς σοι πιεῖν ἐγχέας, ἀναστήσωμαί σε, ἢν δύνωμαι. Nescio, num sim audacior, qui hoc ipsum exemplum, vel forte similem loquendi rationem nostri scriptoris animo observatam putem. Illud vero constat, denotare voluisse vocis inventorem eum ὃς πίνειν ἐγχεῖ atque ἐγχύτης eodem modo procusum est, quo simplex χύτης, quod aliis quoque locis legitur.

πλοιαρίδιον — I, 1, p. 1 (A). Mira sane forma, derivata a substantivo πλοιαρίου, quod et ipsum est deminutivum. Sed ne hac quidem re auctor est contentus, quippe addens μικρά. Codex L. h. l. praebet πλοῖα. In universum enim Pseudo-Callisthenes cernitur deminutivorum amans, id quod testantur formae, quae sunt ἀνθρωπάριον I, 1, p. 1, III, 8, p. 104, γυναικάριον I, 27, p. 29, δενδρύφιον III, 8, p. 104, δοράτιον I, 8, p. 8, λυχνίδιον II, 14, p. 69, πλοιαρίδιον I, 3, p. 3, III, 17, p. 120, πονημάτιον III, 10, p. 106.

πολυτέλησις — I, 4, p. 5 (C). In codice B. notissima forma exstat πολυτέλεια. Equidem corruptelam statuendam negans, auctorem codicis recentissimi, id quod sexcenties invenimus, hoc quoque loco de lectione exemplaris sui mutasse affirmo, ne merus imitator aut pedissequus esse videretur. Ut igitur aliis locis pro verbis codicis antiquioris posuit synonyma, mutavit structuras, narrationem amplificavit aut in brevius contraxit, sic nostro loco finem substantivi, in codice B. expressi, transformavit, idem fortasse deformavit. Deceptus est, ni fallor, exemplis, qualia sunt αὔλησις, μίμησις, στέρησις. φίλησις, φρόνησις, quarum formarum ratio longe alia est. Sed noster, etymologiae legum imperitus, in his rebus suum secutus arbitrium, scientiolam suam, ubiubi occasio ipsi est oblata, ostentare studuit, num recte ageret necne, non curans. Ergo hoc exemplum, sicuti pleraque, docet, qua via illis temporibus linguae graecae copiam verborum augere tentaverint. Perperam vero mea quidem sententia egerit is, qui illorum ejusmodi studia alio metietur judicio et ad alias revocabit rationes.

πόμπευμα — I, 1, p. 1 (AL). Sensum respicienti eandem mihi hoc substantivum potestatem habere videtur, atque πομπεῖον. Analogiam petivit auctor fortasse e substantivis, quae sunt στρατός et στράτευμα.

προσκεφαλίς — II, 25, p. 83 (C). Quin sit altera forma substantivi προσκεφαλαίου vel προσκεφαλαδίου, omnino dubitari nequit.

πυέλη — II, 18, p. 75 (ABLC). Hac nova forma loco priorum, quae sunt πύελος et πύαλος, usi sunt libri omnes.

Nam quod in codice B. inest mutilatum πύλη, inde intelligis, ab hujus quoque scriba de feminino cogitatum esse.

Σκοτοτάφρος — II, 33, p. 86 (B). Alexander, quid jam viderit ac perpessus sit, ad Olympiadem matrem pluribus perscribit. Inter alia narrat: Ἤλθομεν εἰς τινα τόπον, ὅθεν ἐξέβαινε πηγὴ πλουσιωτάτη καὶ κρατίστη· καὶ ἐκέλευσα παρεμβολὴν γενέσθαι καὶ τάφρους καὶ σκοτοτάφρους περιτεθῆναι. Novum illud vocabulum, quid sibi velit, apposito noto substantivo τάφρου facilius perspicitur. Metuens enim rex, ne qui hostes aggrederentur castra, fossis apertis et fossis contectis circumdedit[1]). Hoc ejus fuisse consilium, docent verba sequentia: ἵνα ἀβλαβῶς τὰ στρατόπεδα διαμένῃ. Opertae fuerint hae fossae arborum virgis et viminibus, ut comparari possint liliis illis, quae commemorat Caes. B. G. VII, 73. „Reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur". Cogitandum igitur est de iis rebus, quas nos fere nominamus *„blinde Gräben"*. Et aptum mihi videtur hoc nostri inventum, quamvis a scriptoribus rei militaris graecis eadem res alio fuerit modo significata, id quod ignorare me fateor. Posse autem omnino tale compositum fingi, affirmant vocabula, qualia sunt σκοτοδότης, σκοτόμαινα, σκοτομήνη, σκοτοποιός, σκοτοποιΐα, σκοτομήδης, σκοτοφόρος, σκοτομαχεῖν, σκοτοποιεῖν.

σφενδονάριος — I, 46, p. 50 (A). Remotae huic formae Muellerus substituit σφενδονιστής, quod non probo. Teneo vocabulum, ornatum illud quidem a scriptore insolita terminatione, quae latinam redolet originem. Quapropter non statim est rejiciendum, quum latinarum vocum usus a Ps.-C. haud alienus sit, de qua re infra agam.

Φρενή — II, 26, p. 84 (C). Ut nonnunquam videmus, genitivos quorundam substantivorum factos esse nominativos (cf. ὁ φύλακος, ὁ μάρτυρος, ὁ ὁμωός, ὁ ἄγωνος, ὁ χέρνιβος), sic Ps.-C., majore sane audacia adhibita, radicem solam vocis

[1]) Altero loco II, 42, p. 92 auctor codicis C. simili Alexandrum astutia usum esse, capturum hippocentauros, his verbis exprimit: Ὁ Ἀλέξανδρος κελεύει τὸ φοσάτον ἐκεῖσε παγῆναι καὶ κύκλῳ τῆς φάλαγγος παρμέγεθες ὄρυγμα γενέσθαι καὶ τοῦτο στεγάσαι καλάμοις καὶ χόρτῳ προσέταξεν.

φρενός retinuit novum affigens finem. Fieri etiam potuit, ut non a nostro scriptore inventum sit hoc substantivum, sed profecto vetusta haec forma olim exstiterit, quae eadem aliunde nobis non sit nota. Namque legitur in oraculo quodam, Aegyptiis dato, cujus reliqua quoque verba vetustatis atque dignitatis quandam prae se ferunt speciem.

Ψευδόφιλος — III, 12, p. 109 (C). Non aspernandum erit hoc compositum, quod multis nitatur analogiis. Codex A. eodem sensu simplicius sane dixit ψευδὴς φίλος.

Ne latina quidem vocabula abesse a Ps.-C., testantur, ut alia silentio praetermittam, ἅστη I, 25, p. 26, πιγκέρνης III, 31, p. 145, πόρτα I, 35, p. 40, ῥεφερενδάριος III, 19, p. 127, quae omnia ab aliis quoque mediae et infimae graecitatis usurpata esse scriptoribus, cognoscere licet e glossario Ducangii. Sed duas non inveni notatas, quas ceteris liceat adjungere.

Καγκελλίς — I, 19, p. 19 (C). Intelligendi sunt cancelli circi, quos ceteri καγκέλους sane solent nominare (cf. I, 13, p. 13, ubi omnes libri revera exhibent formam, quae est κάγκελλος).

καστρίδιον — III, 3, p. 98 (C). Deminutivum formavit scripter vocis, quae est κάστρον, et quam de eadem re usurpant omnes libri III, 23, p. 135. In quo vocabulo, apte, ut mihi quidem persuasum est, formato — agitur enim de castellis turribusve, quas Pori elephanti in dorsis portaverint et quas idem auctor in eodem cap. p. 97 nominaverat τείχη ξύλινα, in quibus ἄνδρες ἔνοπλοι ἵσταντο — id unum habet admirationem, quod vox latina exitu exstructa est graeco, deminutivum indicaturo.

b. Nomina adjectiva.

Ἀκαθυστέρητος — II, 11, p. 66 (ABLC). Sensus loci indicat, significare hoc adjectivum „non sero veniens". Etenim imperat Darius satrapis suis, ut arma ipsi mittant, ad quam rem perficiendam parati sint permulti cameli πρὸς

τὸ διακονεῖν καθὼς προσετάξαμεν, ἵνα ἀκαθυστέρητον τὴν ὑπουργίαν εὕρωμεν[1]). Deductum est nimirum a verbo καθυστερεῖν, quod apud nostrum quoque scriptorem reperimus I, 25, p. 26. Ὁ δὲ πρεσβύτης πρότερον λογισάμενος ἐπὶ τὸ ὁρμᾶν καθυστερεῖ.

ἀμφίππιος — II, 42, p. 92 (C). Describitur Alexandri pugna cum ἀνθρωποειδέσι ζώοις. Jam de quibus antea dixit: Ἀπὸ μὲν κεφαλῆς μέχρι τοῦ ὀμφαλοῦ τέλειοι ἄνθρωποι ὑπῆρχον, κάτωθεν δὲ ἵπποι, eosdem paulo post, miram sane subjiciens sententiam, appellat ἀμφιππίους ἄνδρας. Nam quum indicare voluisset, animalia illa altera tantum ex parte fuisse equos, exspectandum erat fortasse ἡμιίππιος.

ἀφορολόγιστος — II, 6, p. 61 (A). Hanc formam loco usitatae, quae est ἀφορολόγητος, adhibitam esse, docet sententiarum connexus: Οὕτως ἀποφηνάμενος καὶ συνθήσας τοῖς στρατηγοῖς Λακεδαιμονίοις, τὴν πόλιν ἀπολέμητον κατέλιπε καὶ ἀφορολόγιστον. Ergo formam verbi φορολογίζειν finxisse putandus est, quum ceteri φορολογεῖν usurpaverint.

Γυμνοπερίβολος — III, 5, p. 100 (ABL). Insolitum quidem et audax est hoc compositum, sed quam habeat potestatem, nullo negotio apparet. Agitur enim de Brachmanibus, quos conspexerit Alexander γυμνοπεριβόλους. At codex C. eodem loco habet γυμνοὺς περιβόλων, qui pro obscuriore fortasse ceterorum librorum vocabulo vocibus voluerit uti, quae facilius intelligantur. Quare sensus adjectivi est hic, fuisse Brachmanes omni genere vestium privatos, nullum apud eos fuisse vestitus usum[2]).

---

[1]) Cf. Valer. „Ne quid eorum, quae usui forent belli commodo, moraretur".

[2]) Aut non intellecta est — et sic mihi quidem videtur, quum in ceteris omnibus arte se applicet ad exemplar graecum — vocabuli significatio a Valerio, qui scribit: „Videtque homines, reliqua nudos, sed amictu simplici superjectos" (nam praeterquam quod γυμνοπερίβολος esse non potest, „praeter amictum simplicem non habens alias vestes", et aliunde constat, τοὺς γυμνοσοφιστάς, qui appellantur, omnino nudos esse fictos, et ipse Ps.-C. claris verbis passim narrat, omni vestitus genere caruisse Brachmanes, cf. III, 5, p. 99 ibid. p. 100), aut alteram secutus est fabulam, secundum quam Brachmanes parciore tantum fruiti sint vestitu, ceteris hominibus, et ex qua eadem hausisse videtur Stephanus Byzant., qui s. v. Βραχμᾶνες tradit: Χρῶνται δὲ ἐσθῆτι λινῇ τῇ ἐκ πετρῶν.

Δωδεκάστεγος — II, 18, p. 75 (ABLC). Tuentur omnes libri hoc adjectivum, quod substantivo πύργου appositum est. Nec mihi quidem dubium est, quin scriptor verba faciat non de turri aliqua, duodecim tectis exstructa vel duodecim conclavia, quam duodecim tabulationes habente, quia pergit: Ἐν δὲ τῇ ἄνω στέγῃ ἔκειτο αὐτὸς (sc. ὁ Κῦρος) ἐν χρυσῇ πυέλῃ et quia Valerius illam Cyri aedem „turris ad faciem... in summam altitudinem exstructam processisse“ dicit.

Ἐνύποπτος — I, 9, p. 9 (L). Sensui accommodatior est haec lectio, quam adverbium, quod in codice antiquissimo exaratum est. Vis autem nulla alia est, nisi „in suspicione s. in angore versans“, id quod Valerii quoque verbis comprobatur, qui, utramque narrationem aliqua ex parte recipiens, hanc vocem „diffidentius“ vertit. Quod exemplum clarissime nobis ostendit, scriptorem nostrum nullo fere judicio, sed solo interdum vocum sono deceptum, nova formasse vocabula. Nam quum certe cogitaverit de phrasi, qualis est ἐν ὑποψίᾳ οὖσα, quod simplici jam adjectivo ὕποπτος exprimitur, illud indicaturus, „in suspicione“ reginam tum esse versatam, praepositionem ἐν vocabulo perperam praefixit. Quem in errorem fortasse eo facilius incidit, quia adjectivo ἀνύποπτος, et ipso composito adjectivi ὕποπτος, analogiam praeberi opinatus est, cujus rationem longe aliam esse, quis est, quem fugiat?

ἑπτάκλαδος — III, 28, p. 142 (ABLC). Eandem habet vim, ac si dictum esset ἑπτὰ κλάδους ἔχων, ut cognoscere licet inde, quod conjunctum est cum substantivo ἀναδενδράδος.

εὐχαριστικός — II, 5, p. 59 (A). In uno codice A. commemorantur ψηφίσματα εὐχαριστικά, quae praeter coronam auream per nobiles legatos Alexandro mittere suadente Demosthene statuerint Athenienses. Significat „gratum animum ostendens s. indicans“, id quod et ad loci naturam quadrat et a Valerio repraesentatum esse videmus: „Consultumque ordinis fit, quo gratiarum actio videretur“.

Θηλυκόσωμος — I, 5, p. 6 (BC). Narrant codices, Nectanabum formasse κηρίον θηλυκόσωμον, pergentes: καὶ

ἐπέγραψεν αὐτῷ (ἐν αὐτῷ B.) τὸ ὄνομα τῆς Ὀλυμπιάδος. Sensum loci quamquam perspicimus, tamen negandum non est, duram esse hanc scribendi rationem, quum cera ipsa nominetur „feminae corpus habens“. Nam „effigies ex cera facta“ nusquam sola voce κηρίου exprimitur. Ut iidem codices I, 1, p. 2 rectius scripserunt: Ἔπλασεν ἐκ κηρίου πλοιάρια, sic planius rem explicavit h. l. Valerius, quem miror, relicta auctoritate codicum AL., qui rem paucioribus absolvunt, in hac re codicum BC. pressisse vestigia: „Effigiat (sc. Nectanabus) ex cera corpusculum feminae“.

Καλλίναος — I, 33, p. 37 (BLC). Lacuna quidem est h. l. in libris; illud vero praesertim e sequentibus verbis colligere licet, referendum esse hoc adjectivum ad urbem Alexandriam. Quare significare non potest, quod omnibus ceteris locis, „pulchrifluus“ vel „pulchre fluens“; sed sensum respiciens compositionum adjectivi καλός, quales sunt καλλιβλέφαρος, καλλιγέφυρος, καλλιγύναιξ, καλλιδένδρος, καλλίθριξ, καλλιπάρηος, similia, non dubito affirmare, καλλίναος esse „pulchris templis ornatus“. Firmatur haec sententia mea ea quoque re, quod noster scriptor formam ναός, nunquam νεώς solet usurpare. Cf. I, 24, p. 24 (A), I. 33, p. 35 (BC), I, 42, p. 47, (ABLC), III, 18, p. 126 (AB), III, 22, p. 131 (ABLC), III, 28, p. 141 (ABC. ter, L. semel); addere liceat λαῶν III, 14, p. 111 (AC). — Significationem illam rectam esse, comprobant denique verba codicis A. et Valerii, fusius de eadem re agentium: „(Πόλις) κοσμουμένη ναοῖσι πολλοῖς“ et „Urbs, frequens deorum templis atque numine“.

καμπικός — I, 13, p. 13 (BLC). Recte ductum est a substantivo, quod est καμπή, ita ut denotet ea, quae ad καμπὴν pertinent, vel καμπῇ propria sint. Alexander igitur si traditur ἐπὶ τὸ καμπικὸν δραμεῖν μελέτημα, elucet, scriptorem dicere voluisse, eum in stadio currendo vel in meta evitanda sese exercitasse [1]).

[1]) Veri similis etiam est, derivatum esse adjectivum a substantivo κάμπου, quod non modo „campum“ vel „planitiem“, verum etiam „castra“ sonare discis e Ducangii Gloss. s. v. Itaque sensus loci est is, castren-

χραστιφόρος — III, 13, p. 110 (AC). Ita nominatur Scythia apteque judico inventum esse vocabulum, quum alii quoque scriptores regiones nonnullas illius terrae herbis et pascuis abundasse tradant. Cf. Herod. IV, 47. Ἥ τε γὰρ γῆ ἐοῦσα πεδιὰς αὕτη ποιώδης τε καὶ εὔυδρός ἐστι. Hippocr. de aëre, aq. et loc. c. 32 commemorat Scythiae κοῖλα χωρία καὶ λειμαχώδεα. Addere licet Strab. XI, c. 8, ubi de Massagetis agitur: Οἱ δὲ πεδινοὶ καίπερ ἔχοντες χώραν, οὐ γεωργοῦσιν, ἀλλὰ ἀπὸ προβάτων καὶ ἰχθύων ζῶσι, Νομαδικῶς καὶ Σκυθικῶς. — Alia composita verbi φέρειν in utroque codice occurrunt haec: κερασφόρος I, 12, p. 11 (non recte quidem formatum, sed in corruptissima aliqua codicis A. parte obvium), σηρικοφόρος I, 26, p. 27 (C), substantivum γραμματοφόρος II, 14, p. 69 (C), δερματοφόρος II, 37, p. 89 (C).

χρυσταλλοφόρος — III, 21, p. 129 (ABLC). Formatum est secundum eandem analogiam, atque antecedens. Appellatur autem ita terra, per quam Alexander cum Candaule, Candaces reginae filio, migraverit. Cogitandum erit non solum de altissimis illius regionis montibus, glacie indutis, sed de crystallis gemmisque ipsis, quae ibi erant, aut putabantur saltem esse, id quod colligo quum ex ipsius Ps.-C. verbis: (Ἀλέξανδρος) ἐθαύμαζε τὰ ποικίλα ὄρη τῆς χρυσταλλοφόρου γῆς, tum e Valerio: „(Alexander) perlustrabat montes... arduos et congesta saxorum nivali specie candentium, quae pleraque crystalli metalla dicebantur, frigida sane sub caeli plaga et circum omnia nubibus convestita".

Ὁδευτικός — II, 15, p. 71 (ABLC). Quamvis codices AB. conjungant hoc adjectivum cum voce ὁδοῦ, LC. cum voce γῆς, tamen apud utrosque eandem habet vim. Exemplum enim sequitur vocabulorum, qualia sunt βουλευτικός, παιδευτικός, alia, nec, quod attinet ad significationem, diversum esse voluit scriptor ab adjectivo, quod est ὁδεύσιμος (pervius).

sibus exercitationibus vacasse regis filium, quam explicationem ideo priori praetulerim, quod scriptor Alexandrum id μετὰ τῶν στρατευμάτων facere solitum esse dicit.

Παντέφοπτος — II, 22, p. 81 (A). Sic nominatur Νέμεσις et Δίκη, unde intelligis, exprimere voluisse inventorem „omnia videns". Sed num vocabulum, falso praeterea formatum (nam παντέποπτος s. παντεπόπτης procul dubio scribendum erat) a scriptore, qui nimirum cogitaverit de voce, quae est παντέφορος, profecto hunc possit habere sensum, equidem valde dubito.

παράβουλος — III, 4, p. 99 (A). Non merum calami lapsum esse crediderim, quod pro usitata forma παράβολος finxit hanc atque propterea, quia serioris aetatis scriptores verbum quoque usurpant ab hac forma derivatum pro vulgari παραβολεύεσθαι. Hoc ipsum verbum παραβουλεύεσθαι in codicibus BLC. profecto exstat II, 38, p. 89.

πολυάρης — II, 14, p. 69 (A). Inter alios principes qui cum Dario coenant, commemoratur Μένωπος, Αἰθιόπων ἀναξ πολυάρης, quo adjectivum bellicosum certe illius animum, vel multa illum bella gessisse, indicare voluit scriptor.

πολύπαχος — III, 5, p. 100 (C). Quum codices AB. tradant, Alexandrum in Brachmanum terra conspexisse φοίνικας παμπληθεῖς, codex C., ut est mutationum studiosissimus, usurpat vocem πολύπαχος, indicaturus, arborum illarum non am magnum numerum, quam crassitudinem fuisse admirabilem. Corrupta forma codicis L., quae est πολυπαθεῖς e mira eademque falsa utriusque lectionis conjunctione orta esse videtur.

πολυσφαγής — I, 46, p. 51 (A). Hanc vocem equidem magis a substantivo σφαγῆς ductum puto, quam a verbo, quod est σφάζειν. Non inepte idem arbitror σίδηρον ita appellari, praesertim quum totus ille locus poëticum quendam sonum redoleat.

Τραυματιαῖος — II, 11, p. 67 (A). Iterum occurrit in eodem codice A. II, 22, p. 80. Derivatum est ab adjectivo τραυματίας, addito ad radicem (τραυματια) exitu ιος, qui non modo substantivis (cf. οὐράν-ιος, φόν-ιος, ἀγορα-ῖος, αἰδο-ῖος), verum etiam adjectivis affigitur. Sed quum in ejusmodi exemplis significatio talis compositi mutari soleat (cf. ἐλευθέρ-ιος liberalis, καθάρ-ιος, munditiae amans), hoc

in nostro vocabulo non fieri, uterque testatur locus: prorsus idem valet, quod τραυματίας (saucius s. vulneratus).

τρίσκακος — II, 2, p. 55 (A). Procusum est e similitudine vocum, quae sunt τρισκακοδαίμων, τρισάθλιος, τρισάποτμος, aliae, ut, quantam ipsis intulerit calamitatem Philippus, et quantopere illum ob eam rem oderint, indicent quam clarissime Athenienses, ad Alexandrum scribentes.

Χρυσοσφυρήλατος — III, 28, p. 141 (A). Vox, si omnino recte se habet, falsa ratione composita mihi esse videtur. Significaret enim magis „aureo malleo perfectus", quam, quod sensus flagitat „malleatus idemque aureus". Quocirca potius legendum esse censeo χρυσῇ σφυρήλατος. Quae ceteri libri exhibent vocabula, χρυσοφορήτως (B), χρυσοσφύρητος (L), χρυσοφόριστος (C), quin corrupta sint, nemini facile erit dubium.

χρυσοτόρνευτος — III, 28, p. 142 (ABLC). Ter in eodem cap. occurrit. In adjectivorum verbalium, quae vocantur, numerum, ex quo sunt v. c. περιφήμιστος I, 38, p. 43 et περιάστραπτος III, 21, p. 131, ideo non retulerim, quia verbum, quod est τορνεύειν, III, 22, p. 131 (τετορνευμένα ἐκ πορφυρίτου λίθου) et III, 28, p. 142 (ἐκ λίθων τετορνευμένα) conjunctum inveni in omnibus quatuor codicibus cum praepositione ἐκ, quamvis eodem jure fingere licuisset formam λιθοτόρνευτος. Negans igitur, scriptorem in animo habuisse verbum χρυσοτορνεύειν, ut re vera non finxit λιθοτορνεύειν, sed bis dixit τορνεύειν ἐκ λίθου s. λίθων, idem statuo, eum ex adjectivo verbali verbi τορνεύειν (τορνευτός) et substantivo χρυσοῦ novum illud composuisse adjectivum. — Sensus ipse facile perspicitur; nempe est „ex auro tornatus" vel „torno factus s. tritus ex auro". Valerius autem relictis Graeci vestigiis, commemorat „cratera argenteum".

B. Verba.

Ἀδαιμονεῖν — I, 22, p. 22 (A). Una usurpatum cum verbo νωθρεύεσθαι, significat „miserum esse". Amare codicis A. auctorem verba composita cum α privativo, exemplis edocemur, qualia sunt ἀδικεῖν II, 5, p. 60, III, 26, p. 137,

ἀπειθεῖν I, 13, p. 13, ἀτακτεῖν II, 1, p. 55, ἀτονεῖν I, 19, p. 19, I, 46, p. 53, ἀφρονεῖν (sic enim recte restituit Muellerus pro verbo ἀναφρονεῖν, quod est in codice) II, 3, p. 58, ἀχαριστεῖν II, 5, p. 60.

ἀθηροποιεῖν — I, 32, p. 35 (A). Idem est, quod ἀθήραν (pultis s. polentae quoddam genus) ποιεῖν. Quum ibi agatur de Aegyptiis, eo magis tueor vocabulum codicis vetustissimi, qui de rebus, ad Alexandriam praesertim pertinentibus, plura semper commemorat, ceteris, quia ἀθήραν Hesychius s. v. testatur fuisse βρῶμα διὰ πυρῶν καὶ γάλακτος ἡψημένον παρ' Αἰγυπτίοις. — Talis compositio nihil prorsus habet, quod offendat atque similis est illi, quam praeter ceteros libros idem codex A. exhibet II, 9, p. 64 σκηνοποιεῖν.

ἀλλομορφεῖν — I, 3, p. 3 (AL). Traditur Nectanabus capillum barbamque rasisse πρὸς τὸ ἀλλομορφῆσαι. Qui infinitivus ductus esse potest a praesenti ἀλλομορφάω aut ἀλλομορφέω. Quamvis derivata exstet a substantivo μορφῆς verbi forma, quae est μορφάω, tamen nostri verbi originem deducere maluerim a composito ἀλλόμορφος (aliam formam habens vel aliter formatus) ideoque praesens judico esse ἀλλομορφέω. Est enim verborum in έω exeuntium ea vis, ut indicent statum aliquem. Itaque ἀλλομορφεῖν est „in eo statu esse, ut aliam formam habeam" vel simplicius „aliter formatum esse". Huic sententiae meae illud quoque videtur adjumento esse, quod omnia verba, composita ea quidem cum pronomine ἄλλος, in έω cadunt, sive a substantivo, sive a verbo cujuslibet terminationis fingis derivata, velut ἀλλογνοεῖν, ἀλλοδοξεῖν, ἀλλοτροπεῖν, ἀλλοφρονεῖν, ἀλλοφυλεῖν, ἀλλοφωνεῖν, ἀλλοχροεῖν.

ἀμήττειν — III, 16, p. 116. Hoc verbum, quod in codicibus AC. desideratur, solus Palladius procudit, deceptus haud dubie sono substantivorum, quae sunt ἄμησις, ἀμητήρ, ἄμητος, a verbo nimirum ἀμᾶν ductorum.

ἀναρτίζειν — I, 35, p. 40 (BLC). Multo aptior est scriptura codicis A., qui legatos Alexandri a Tyriis μαστίζεσθαι refert, quam reliquorum. Illud vero verbum aliter

explicare non poterimus, nisi synonymum esse statuerimus verbi ἀναρτᾶν (suspendere).

ἀναυράζειν — III, 7, p. 102 (A). Hujus verbi originem nullam aliam potui invenire, nisi, ut compositum sit e praepositione ἀνά et substantivo αὔρας. Jam quum praepositio ἀνά in compositione saepe significat „sursum“ (cf. ἀναβάλλω, ἀναβαίνω, ἀνίστημι, alia), verbi nostri sensum esse censeo „in aërem ascendere i. e. aërem fieri“, qui quidem loco ipsi est accommodatus. Tantus enim in India solis aestus esse perhibetur, ὥστε τὸ ὕδωρ, ἐκ τῆς πηγῆς ἀναβλῦζον ψυχρότατον εἰς ὑπερβολήν, ληφθὲν ἐν ἀγγείοις παραχρῆμα ἀναυράζειν. Utra lectio fuerit primitiva, nostra, an, quam praebet Bissaeana Palladii editio, βράσσειν, quod optime sane in locum convenit et facilius fortasse perspicitur, non audeo dijudicare. Non nostram, sed Palladii lectionem secutum esse Sct. Ambrosium, verba ejus ostendunt, interpretantis „aquam confestim in suis etiam vasis fervisse“ [1]).

ἀνταγλαίζεσθαι — II, 26, p. 84 (C). Milites Alexandri narrantur tam variis (cf. conjecturam meam p. 20) thoracibus aureis armati fuisse, ὥστε τὸν ἥλιον τοῖς θώραξιν ἀντικρούοντα ἐδόκει ἐξαῦθις τὴν ἡμέραν ἀνταγλαίζεσθαι. Quae verba contemplatus eum vocabuli ἀνταγλαίζεσθαι sensum eruere posse mihi visus sum, ut sit „retro s. rursus ornare“. Primum enim sol sua ipsius luce diem exornat, deinde vero splendor ejus, militum armaturis repercussus, tantus est, ut hoc dies denuo illuminetur. Quod ut quam apertissime indicet, etiam ἐξαῦθις scriptor addit.

Δρακοντιοῦν — I, 7, p. 7 (BC). Adest profecto dubitatio, num sana sit vox nova (cf. Muellerum ad h. l.). Si recta est, aliter equidem de ejus significatione sentio, atque editor, qui eam „ad vestem, signis dracontes referentibus distinctam spectare“ arbitratur. Ego potius hunc ei

[1]) Artificiosior mihi videtur altera explicatio, qua verbi radicem statuamus esse substantivum ἀναύρου (torrens). Nam nec similitudo, quae intercedit inter superficiem torrentis et aquae ferventis mihi satis facit, nec puto, verbum nostrum de aqua potuisse usurpari evanescente, quod ὁ ἄναυρος quoque solis aestu exsiccetur.

tribuo sensum: „draconem s. draconis figuram efficere, s. repraesentare“. Nam cap. 6. Nectanabus Olympiadi praedixerat, primum draconem in ipsius cubiculum irrepturum; deinde exspectaret deum ipsum, cujus, qui futurus esset habitus, somnio reginae jam indicavisset. Necesse igitur erat, Nectanabus unus speciem et draconis et dei efficeret, id quod per vestem solam a mago factum judico. Itaque in verbis, quae sunt: Ὁ δὲ Νεκτανεβὼς ἡτοίμασεν ἑαυτῷ... τρίβωνα καθαρώτατον δρακοντιοῦντα, ad participium δρακοντιοῦντα animo suppleo αὐτόν [1]). Id unum difficile est ad enucleandum, unde litera ι sit inducta et quam habeat vim. Nimirum δρακοντόω formandum erat. Sed quod attinet ad significationem, Valerius meae favet interpretationi, non Muellerianae, quamvis usus libertate illa, nobis nota, in universum tantum Pseudo-Callisthenis verba verterit: „Efficitque ex scientia reliquum corpus veluti draconem“. Nempe putat ille, draconis figuram non sola veste fuisse effectam, sed ita, ut ipsi corpori tribuerit Nectanabus beluae formam.

Ἐξπολεμειν — II, 3, p. 57 (A). Eodem sensu usurpatur, quo simplex πολεμεῖν, et ipsum quater in hoc cap. obvium.

ἐκκοντίζειν — I, 24, p. 24 (A). Verbum κοντίζειν, pro quo reliqui dicunt κοντεύειν i. e. „conto affigere“, ductum est a voce κοντοῦ, quae „hastam“ vel „telum“ significat. Instrumentum h. l. διβολίς (cf. p. 34) nominatum et praepositio ἐκ indicat, Alexandrum penitus transfigere voluisse Pausaniam.

ἐξαλγεῖν — III, 27, p. 140 (BLC). Nullum esse discrimen invenis inter hoc compositum et verbum simplex, nisi forte praepositio vim hujus auget.

ἐπιφημεῖν — I, 37, p. 42 (BC). Synonymum est verbi ἐπευφημεῖν, quod codex L. re vera h. l. praebet. Sed vocabulum ideo non respuerim, quod II, 21, p. 80 in omnibus

[1]) Eodem modo expedienda est lectio codicis C., in qua particulam καὶ ante praedicatum εἰς ἔργεται post καθαρώτατον pono: ἡτοίμασεν ἑαυτῷ... τρίβωνα καθαρώτατον καὶ κατέχων τῇ χειρὶ αὐτοῦ δρακοντιοῦντα (sc. αὐτόν et δραχ. pertinet ad τρίβωνα) εἰς ἔργεται.

libris et II, 26, p. 24 (cf. Muellerum ad h. l. annot. 9) in codice C. obviam venit. — III, 4, p. 99, autem hac ipsa de causa ἐπεφήμησαν pro ἐπεφήμισαν legendum erit.

ἐρυθριεύειν — II, 2, p. 56 (A). Forma, non sensu diversum est a vocabulo ἐρυθριᾶν, quod codex C. III, 4, p. 99 praebet.

ἐφετμεύειν — II, 26, p. 84 (C). Idem est, quod ἐφετμεῖν. Novam certe hanc formam auctor finxit, quia refert oraculum Apollinis, cujus verba ab usitato hominum sermone distent (cf. ibidem ἀλαία, γεραρός, φρενή dequa v. p. 37).

Μετρᾶν — II, 39, p. 90 (C). Altera est forma verbi μετρεῖν.

Στρατοπεδοπλίζειν — III, 26, p. 138 (C). Talem enim formam praesentis fuisse suspicor, quamquam in libro exaratus est aoristus ἐστρατοπεδοπλήσατο. Minus recte derivabitur a rariore verbo, quod est ὁπλεῖν. Cf. Od. VI, 73. Significatio non obscura est: „exercitum instruere s. parare s. armare". Nam quod insuper adjectum est στρατιὰν ἀνείκαστον, id ipsum ex usu linguae graecae est.

συναρματηλατεῖν — I, 20, p. 20 (C). Solus codex C. tradiderat cap. 19, cum Alexandro certaturo Pisam venisse Laomedontem, illius amicum, tanquam juvenis aurigam, quem ceteri libri ignorant: Τί... ὦ Λαόμεδον... σὺν μειρακίῳ ἦλθες μαχέσασθαι; μὴ κατάνευε ἁμαρτηλατῶν et paulo infra Alexander eum nominat νέον Οἰνόμαον. Quapropter ab ejusdem codicis C. auctore hic et I, 27, p. 29 appellatur ὁ συναρματήλατησας.

συνδιαιτεῖν — II, 34, p. 87 (C). Cepisse traduntur Alexandri milites unum hominum, sex manus et sex pedes habentium, qui post unum jam diem mortuus sit διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτὸν μετά τινος συνδιαιτοῦντος αὐτῷ, unde cognoscimus, scriptorem exprimere voluisse id, quod reliqui verbo συνδιαιτᾶσθαι indicant.

συντρίζειν — I, 46, p. 53 (A). Eadem est hujus verbis potestas atque simplicis τρίζειν, ab omnibus libris III, 22, p. 133 de dentibus, ut nostrum, usurpati.

Ταφίζειν — III, 6, p. 100 (L.). Hanc formam antepono

equidem illi, quae in codicibus BC. est exarata, ταφιάζειν. Nam insertae vocalis ι nulla prorsus est ratio, quum deductum sit verbum a substantivo τάφου. Ergo aut ταφάζειν aut ταφίζειν erat formandum, quarum terminationum verba eandem fere efficiunt classem. E forma verbi σφαγιάζειν, quod legis II, 15, p. 75 (A) analogia arcessi nequit, quippe in quo vocalis ι non exitui, sed stirpi (τὸ σφάγιον) tribuenda sit. — Sententia verbi nimirum est „sepeliendi".

τιννεῖν — III, 14, p. 113 (AC). Ambiguum est, num participium illud τιννοῦντα pertineat ad praesens τιννέω an τιννόω, inventum a scriptore eodem sensu, quo ceteri τίνειν (δίκας) dicunt.

C. Particulae.

Adverbia.

Ἀγνωστί — III, 19, p. 127 (ABLC). Interpretationem offert narratio Valerii, quamvis non ad verbum Pseudo-Callisthenem verterit, sed itineri pictoris tribuerit, quod de pingendo Alexandro dixerit Graecus. Id autem certo est certius, Valerii vocabulo, quod est „clam", Pseudo-Callisthenis exprimi ἀγνωστί. Quod vero scriptor hanc ipsam vocem finxerit, ejus rei causam inde peto, quod amat adverbiorum formas in literam ι exeuntes. Cf. ἀνθρωπιστί III, 17, p. 123 (A) Μακεδονιστί III, 32, p. 147 (A), πανστρατί I, 28, p. 30 (C), II, 39, p. 89 (C), II, 43, p. 93 (C), τετραποδιστί III, 32, p. 146 (A).

αὐθεντί — I, 6, p. 6 (BC). Eidem adverbiorum generi annumerandum est atque antecedens. Respiciens autem significationes substantivorum, quae sunt αὐθέντης et αὐθεντία et ipsius loci condicionem, puto, illum statum significari, in quo potens rex et deus esse cernatur Nectanabus, veniens ad Olympiadem. Quod quo clarius apparet, pronomen αὐτός etiam additum est.

УНИВЕРСИТЕТСКА БИБЛИОТЕКА БЕОГРАД

THESES.

I. Pseudo-Callisthenis codicem Paris. No. 1711 tantum Alexandriae ortum esse pro certo audeo affirmare.

II. Soph. Phil. vv. 22, 23 legi propono:

ἃ μοι προσελθὼν σῖγα σήμαιν' εἴτ' ἔχει
χῶρον τὸν αὐτὸν τόνδ' ἔτ' εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ.

III. Tac. Agric. c. 7 verba „ubi decessor seditiose agere narrabatur", immerito in suspicionem vocantur.

IV. Theocr. Idyll. I, 41 τὸ καρτερὸν cum participio ἐοικὼς conjungendum esse arbitror.

V. Aristippus nomine Socratici indignus est.

VITA.

Arminius Niedenfuehr natus sum Nissae, a. d. IV. Id. Oct. anni h. s. XLV. patre *Antonio*, matre *Francisca*, e gente *Roensch*, quos praematura morte mihi ereptos lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Prima literarum elementa postquam in schola publica didici, inde ab anno h. s. LVI. frequentavi per octo annos patrii oppidi mei gymnasium, quod etiam nunc *Julii Zastra* v. ill. auspiciis floret. Testimonium maturitatis adeptus, mense Oct. anni h. s. LXIV. universitatem Viadrinam Vratislaviensem petivi, studiis philologicis operam daturus. Civibus academicis adscriptus a *Roemer* v. ill., qui tum fasces tenebat, rite nomen dedi apud *Junkmann* v. ill., id temporis philosophorum ordinis decanum. Sed quum post duo jam semestria fortunae tenuitate coactus essem puerum suscipere privatim erudiendum, anno praeterlapso ad hanc almam literarum sedem redux intermissa studia renovavi. Sodalis fui magna cum utilitate mea per tria semestria proseminarii philologici, quod moderabatur *Hertz* v. ill. et per quatuor semestria seminarii regii philologici, regentibus *Haasio, Rossbachio, Hertzio*, vv. ill. ac docentes audivi per quadriennium vv. ill. *Braniss, Elvenich, Haase, Hertz, Junkmann, Neumann, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Scherer, Stenzler, Weber*. Quorum virorum praestantissimorum memoriam semper grato colam pioque animo, praesertim *Haasii, Rossbachii, Reifferscheidii*. Non satis vero, profiteor, me laudare ac praedicare posse insignem benevolentiam et benignitatem *Hertzii*, praeceptoris dilectissimi, v. ill., qui maxima varii generis beneficia in me contulit atque ut consilio, sic auxilio suo me studiaque mea adjuvit. Hujus igitur viri clarissimi, optime de me meriti, dum vivam, memorem me esse futurum, ex animi sententia polliceor.